

Q.K.
431,
40.

X1860523

II c
1276

L. F. F. F. L. S.

DISPUTATIO HISTORICA

De

DICTATURA
ROMANA,

QUAM

DEI DICTATORIS SUPREMI
AUXILIO,

ET

BENIVOLO

AMPLISSIMI SENATUS PHILOSOPHICI
CONSENSU,



in Illustri propter SALAM Athenaeo,

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI HOFFMANNI
WRATISLAVIENSIS.

publicæ ERUDITORUM ventilationi,

ad diem VI. Januarii,

A. O. R. cl. lxx. LXX.

H. L. Q. C.

subjiciet

GEORGIUS LOZBEQVIUS,

Weisfenpurgo-Noricus.

Autor & Respondens.



JENÆ, Typis NISIANIS.



DISPUTATIO HISTORICA

DIGESTA

ROMANA

DEI DIGNITATE

AD

REPUBLICAM

AMPLISSIMI SENATUS OPTIMO

CON

in hunc modum proponitur

et per

M. CHRISTIANUS

AVRATIA

Patris

AVRATIA

H. O.

GEORGII LOEBELII

Verlag





I. N. D. N. 7. C.

PROOEMIUM.



Varia in antiqua Romanorum Republica fuisse Magistratum genera, nemini, puto, nisi in Antiquitatibus Romanis planè hospes sit, ignotum est. Variè etiam dividuntur. Si tamen temporum discrimina (a) attendimus, in ordinarios & extra-ordinarios dispesci queunt: Ordinarii dicebantur, qui certo eoque omni tempore vigeant; ut *Consulatus, Prætura, Ædilitas, Tribunatus, Questura*. Extra-ordinarii contra, qui nec certò, nec omni tempore in usu erant: ut, *Dictatura, Censura*, atque *Interregnum*. De **DICTATURA** jam impræsentiarum plura disserere animo sedet. Quò autem fieri id felicius valeat, Conatus nostros, Tu bone Jova, juva!

CAPUT I.

exhibens **DICTATURÆ** Onomatologiam.

§. 1.

Non abs re facturi videmur, si ante, quàm in ipsa **DICTATURÆ** abdita & adyta nos intromittamus, in **NOMEN** Ipsius inquiramus, juxta illud vulgatum: *Δεῖ πρῶτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα.*

§. 2. *Etymologiam* igitur quod concernit, eosdem natales **DICTATURA** & **DICTATOR** habent. Nonnulli eum sic appellatum esse autumant *passivè*, *activè* alii, uti Plutar-

A 2

chus

(a) *Justus Lipsius de Magistr. Vet. Pop. R. c. 2.*

chus in Marcello (a) monet. Ex illis Varro est, qui (b) ita scribit: *Dictator dictus, quod à Consule dicebatur, cujus dicto audientes omnes essent.* Posteriores sententiam amplectitur Dionysius Halicarnassæus, (c) cujus verba hac de re sunt hæc: *Dictator appellatus à potestate imperandi, & edicendi quidlibet, tum aliis equis & justa pro suo arbitrio præscribendi.* [mandata enim justique & injusti præscriptiones, edicta Romani vocant.]

§. 3. *Significatio ex Etymologia jam patet. DICTATURA* namque apud rerum Romanorum Scriptores nihil significat aliud, quàm Magistratum summum ad certum tempus institutum.

§. 4. *Homonymia non succurrit. Synonyma ejus, & Encomia* Janus Guilielmus (d) e Livio recenset sequentia: *Regimen rerum, (e) maximum Imperium in civitate, (f) ultimum in trepidis rebus consilium. (g)* Recentiores Græci, qui Romanas Historias scripserunt, retinere hanc vocem. Dicitur enim illis, observante Henricô Stephanô (h) $\Delta\iota\kappa\tau\omega\rho\epsilon\iota\alpha$: Apud Suidam (i) legitur $\Delta\iota\kappa\tau\omega\rho\epsilon\iota\alpha$. Sed emendat ibidem Æmilius Portus $\Delta\iota\kappa\tau\omega\rho\epsilon\iota\alpha$, per ω . Aliàs quando explicant, ipsis vocatur Ἀρχὴ ἀνυπεύθυνος , h. e. [ut vertit dictus Portus apud Suidam l. c.] *Magistratus nullis rerum à se gestarum rationibus reddendis obnoxius.* Seu, ut effert H. Stephanus: (k) $\text{ἀνυπεύθυνος μοναρχία}$, *absoluta potestas, & liberum Imperium.*

§. 5. Ad *Synonyma DICTATORIS* quod spectat, variis itidem is apud Latinos notari nominibus solet. Cicero (l) atque Terentius Varro (m) eum vocant *Magistrum Populi*: Lex antiqua, notante Livio (n), *Pratorem maximum.* Ipsi Patavino modò *Rektor Reipublicæ, (o) modò Moderator & Magister Consulium (p)* audit. A Suida appellatur (q) $\epsilon\iota\sigma\eta\gamma\eta\eta\varsigma\ \tau\omega\upsilon\upsilon\ \lambda\upsilon\sigma\iota\pi\epsilon\lambda\omega\upsilon$, i. e. *Suasor & Autor rerum conducibilium.* Aliàs, $\Delta\iota\sigma\acute{\upsilon}\pi\alpha\lambda\omicron\varsigma$, h. e. *duplex,*
five

(a) l. 1. c. 42. vers. Xylandri. (b) l. 4. de L. L. (c) l. 5. A. R. c. 82. (d) lib. de Magistrat. Pop. R. c. 5. (e) l. 6. c. 6. (f) l. 22. c. 10. (g) l. 4. c. 56. (h) In Indice Lexici Græcis p. 758. (i) tom. 1. p. 735. (k) d. l. (l) l. 3. de fin. f. m. 124. b. & l. 3. de LL. f. 205. b. (m) l. c. Confer. Seneca ad Lucilium Epist. 109. (n) l. 7. c. 3. (o) lib. 4. c. 14. (p) l. 3. s. 18. (q) d. l.

sive *Bis-Consul*, quòd duorum *Coss.* autoritate simul unus & idem erat præditus. Brabantinorum veteri vocabulò *RUARTEM Provincia*; aut Leodensium appellatione, *MAMBURUM* dici posse, Strada innuere videtur, quando ita scribit: (a) *Inter ea litteris ab Rege jussus Austriacus, si nulla posset iniri pacificationis via, catholicam religionem, regiamq; auctoritatem strenuè tueri, milite non de futuro: audit, Orangium Bruxellas ab Ordinibus accersitum, Conservatoremq; Brabantia, repetitò vetere vocabulo, RUARTEM Provincia creatum. Erat is Magistratus DICTATORI Romanorum, aut Leodensium MAMBURO non absimilis, quem periclitante Republicà designare solebant. Sed hæc de NOMINE sufficiant. Sit*

CAPUT II.

exhibens *DICTATURÆ* pragmatologiam.

SECTIO I.

DE ORTU.

§. 1.

PRIUSquam ad *DICTATURÆ* naturam indagandam progrediamur, circa limina paulisper subsistere, ac in natales illustris hujus Imperii scrutari operæ precium est. Solliciti autem heic esse jubemur de *duobus*: Primùm videlicet de *PRIMO* omnium Regiminis hujus *INVENTORE*, deinde de *TEMPORE*, *QUO* potestas illa *ROMÆ* fuit *INTRODUCTA*.

§. 2. Apud *ROMANOS* quidem *SENATUM* potentia istius *AUTOREM* fuisse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Anno namque Urbis Condita CCLVI. *SC*tum proponebatur tale: (b) *Largium & Cloelium, Coss. & si quis alius Magistratus aliquo, aut publico munere fungeretur, potestatem deponere; unum autem virum a senatu electum, populiq; suffragiis approbatum, habere semestrem potestatem rerum omnium, ampliore, quàm sit Consulum.*

A 3

§. 3.

(a) *l. 9. Hist. Belg. p. m. 440. (b) vid. Dionys. Halicarnass. l. 5. A. R. c. 83.*

§. 3. Num verò primi omnium Auctores QUIRITES fuerint, dubitatione non caret: Cùm ALBANOS adducant alii, alii GRÆCOS. Licinius Macer Magistratum hunc Romanos ab Albanis sumsisse, asserit apud Halicarnassæum, (a) eò inductus, quòd primi à morte Amulii, atque Numitoris, Regio genere deficiente, [Cluiliò nempe defunctò] annum Magistratum creare, concessâque potestate regiâ, ipsum hoc nomine, [Dictatoris putâ] insignire cœperint. Illum verò Dictatorem sub Rege Romanorum III. Tullo Hostilio, Metium, Suffetium, sive Fufetium fuisse ex Livio (b) constat. Ipse verò Dionysius, (c) quin imò, docente Alexandrò ab Alexandrò (d) plerique à Græcis institutum hoc suam in Remp. Romanos introduxisse perhibent. Verba Dionysii (e) hæc sunt: *Enimverò Ego non tam de NOMINE inquirendum putavi, unde profectum Romam pervenerit, quàm de EXEMPO ipsius potestatis, quam in se continet hæc appellatio.* Solebant enim Græci, ceu idem ibidem & ex eo Alexander Sardus (f) refert, cùm vis aliqua major repente oborta esset, aut nimiâ Licentiâ corrumperetur Populus, Αἰσομνητες constituere, Thessali Archos item, & Spartani Harmostas. Et sanè Latii incolas primos omnium extitisse Græcos, locuples testis est idem Dionysius. Ita enim apud Eundem (g) legitur: *Urbem Romam, qua sita in occidentali tractu Italiae, ad flumen Tiberim est, tenuerunt primi post hominum memoriam Barbari quidam indigenæ, Siculi dicti. Et paullò post: His pulsus Aborigines eum locum occupavere, posteri Oenotrorum. Porro: post occupata hæc ab Aboriginibus loca, primi cum eis sedes conjunxerunt Pelasgi. Post Pelasgos verò Arcades, digressi ab oppido Palantio, Evandrum Mercurii & Themidis nymphæ filium, Ducem Coloniae secuti: qui domicilium fixerunt ad unum è Septem Collibus, in media ferme Roma situm; Non multo deinde post, appulsò in Italiam Hercule, quando Exercitum, ex Erythæa domum reducebat, relicta Copiarum Græcarum pars quædam propè Palantium substitit, altero ex iis, quos nunc Urbs complectitur, colle occupatò; qui tunc Saturnius ab Indigenis, nunc verò Capitolinus*
à Ro-

(a) l. c. (b) l. 1, c. 23. (c) l. c. (d) G. D. l. 4, c. 23. (e) d. l. (f) l. 2, de Morib. Gent. p. 83. (g) l. 2. A. R. c. 1.

à Romanis dictus est. An verò Romani præcisè imitatione Græcorum, Dictatorem elegerint, asseverare non ausim, cum propius exemplum Albanos haberent. Et hanc esse receptiorem sententiam, asseverat in *Annalib. Magistratum, & Provinciarum.* S. P. Q. R. Steph. Vinandus Pighius, (a) quem post conscriptam jam Dissertationem, pro sua in bonas mentes indulgentia communicare dignatus est Excell. Dominus Jo. Andr. Bosius, Historiarum, in celeberrima hac Salana Professor famigeratissimus, Præceptor atque Patronus meus ad rogam usque devenerandus.

§. 4. Apud Carthaginienses quoque Dictaturam fuisse, testatum ire videtur ingenuus ille Trogi Epitomator, (b) cum infit: *In Sardinia* [Insula, inter mare Thuscum & Aphricum sita] quoq; *Hasdrubal graviter vulneratus, Imperiò Hamilcari fratri traditò, interiit: cujus mortem, cum luctus civitatis, tum & DICTATURÆ undecim, & triumpho quatuor insignem fecere.* Id ipsum etiam videre ex A. Gellio (c) est, qui, cum demonstrat, olim & quidem ante M. Tulli ætatem pro die quinto dictum fuisse *die quinti*, exempli loco adfert Historiam, quam Cælius ex Origine M. Catonis transtulit in libr. suum Historiarum II, dicens: *Et Historiam autem, & verbum hoc sumpsit Cælius ex Origine M. Catonis, in quo ita scriptum est: Igitur Dictatorem Carthaginiensium Magister Equitum monuit: Mitte mecum Romam Equitatum, die quinti in Capitolio tibi cæna cocta erit.* Observandum tamen est, Justinum, [annotante ad h. l. CL. Berneggerò,] Romanò more loqui, ac vim potius ejus potestatis, atque ἀναλογία cum Romana, quàm proprium vocabulum respicere. Nec sicò pede prætereundum esse censeo, quòd etiam *Tusculani Dictatoris* mentio apud Patavinum (d) interseratur; Verumtamen post captam demum & restitutam Romam. Tantum de Inventore.

§. 5. Quod attinet TEMPUS, quo Romæ introducta primùm fuit hæc dignitas, teste Livio, (e) *Dictatoris primùm creandi mentio orta Postumo Cominio, & T. Lartio Coff.* cum bellum Latinum metueretur, & XXX. Populi concitante Octavio Mammi-

(a) T. 1. l. 2. ad Annum P. R. C. CCLII. p. 82. (b) Justinus Histor. l. 19. c. 1. (c) N. A. l. 10. c. 24. (d) Liv. l. 6. c. 26. (e) lib. 2. c. 8.

Mamilio, Tarquinii Superbi genero, contra Romanos conjurasset; sed, eodem Auctore, nec quo anno, nec quibus Consulibus, nec quis primum Dictator creatus sit, satis constat. Magnus Aurelius Cassiodorus (a) scribit, primum Dictatorem, Postumo Cominio, & T. Largio Coss. [erant autem hi Consules, uti Dionysius l. 5. A. R. c. 49, assignavit, A. U. C. CCLIII.] T. Largium dictum esse. Quoad primum Dictatorem quidem cum hoc idem sentit jam laudatus Dionysius, (b) Annum tamen U. C. ponit CCLVI. quo T. Largius Flavus, cum Q. Clælio Siculo Collega, & II. Consulatum gesserat. Diversam hanc Auctorum sententiam provenire inde putat Cuspinianus: (c) quod ea T. Largio Consule inventa, utrum vero primo ejusdem, an altero Consulatu, incertum sit. Sunt, qui statuunt, M. Valerium, M. F. Velosium aut, quod alii malunt Volusi Nepotem primum Dictatorem R. fuisse: Verum ab his præter Auctores modò adductos, etiam Patavinus, (d) Scriptor Romanæ Historiæ accuratissimus discrepat: *apud veterimos, inquit, Auctores T. Lartium, Dictatorem primum, Sp. Cassium Magistrum Equitum, creatos invenio.* Assensûs ratio infra ex S. III. §. 4. patebit.

§. 6. *Occasio* fuit Turbarum Reip. Romanæ imminentium concursus multiplex. Enimverò, non tantum, veluti Suidæ (e) placet, Manlii, Μαλλίς, vel potius Mamilii [uti Livio itemq; & Dionysio nuncupatur] arma exterius urgebant, sed & Sabi-
norum metuenda erat rebellio, ac quod maximum, intra urbem Plebis seditio. Qua de re videri possunt Livius l. c. Dionys. c. 73. seqq.

SECTIO II. DE CAUSA EFFICIENTE.

§. I.

PRælibatis etiam, quæ de Ortu DICTATURÆ prælibanda fuere, recto nunc tramite ad ipsam ejus naturam considerandam properamus, principem locum *Causa efficienti* meritò tribuen-

(a) *In Chronico ad Theodoric. Regem, p. m. 422.* (b) *l. c. c. 70.*
(c) *Edit. Francof. 1601. in fol. p. 76.* (d) *l. c.* (e) *d. l.*

buentes, cum, Auctore Philosopho, (a) sit id, unde primum est motus principium. Proponitur autem, [ut rem omnem distinctim demus,] in Historiarum monumentis, alia remota, proxima alia.

§. 2. *Causa efficiens* hujus dignitatis *remota*, à qua effectus iste mediatè dependebat, erat SENATUS. Id quod velex Livii aliquot locis, (b) aliisque rerum Romanarum Scriptoribus fat clarè constat. Hinc Romanos, qui è pugna Allienfi Vejos migrarant, adeò regebat pudor, ut discrimina rerum etiam capta urbe fervarent, & Senatum in Capitolio obsessum, ingenti cum periculo nuncii, de creando Dictatore consulerent, cujus decretè acceptò Camillus absens Dictator dicebatur. Vid. Liv. l. 5. c. 46.

§. 3. At verò, inquires, videtur facultas illa eo tempore adscribenda *Populo*, non autem *Senatui* fuisse; quòd apud Livium editt. novissimis hocce legatur Sctum: *Ut Comitibus curiatis vocatus de exilio, JUSSU POPULI CAMILLUS Dictator ex templò DICERETUR.* Verùm enim verò quod hoc attinet, si sequens consulimus colon, videtur vitium irrepsisse typographicum, atque verba isthæc: *JUSSU POPULI, ad revocationem de exilio* referenda esse: cum expressè dicatur, *CAMILLUM*, tanquam *Exulem IN JUSSU POPULI* [à quo scilicet damnatus erat] *mutari finibus non potuisse.* Assentitur huic explicationi Pighius T. x. l. 3. ad A. CCCLXIII. p. 225. ita scribens: *Camillus Romæ in Capitolio Senatus decreto, & Populi jussu Lege curiata revocatus ab exilio, Dictator absens dictus est.*

§. 4. Hic, ut ostendamus *Senatum* formaliter causam fuisse, proponamus necessum est, cum rationem causandi, tum ejus causalitatem, quâ effectum attingere voluit ac potuit.

§. 5. *Ratio* itaque *causandi* nîl fuit aliud, quàm potestas Dictatorem creandi. Quam callidè aucupati *Senatores Romani* fuère: Exploratissimum enim ex Halicarnasséo est, (c) Valerium Poplicolam Leges ad tutandam Plebem tulisse humanissimas: *Unam, in qua disertè cavit, ne quis Romæ Magistratum gere-*

B ret

(a) l. 2. Phys. c. 3. t. 29. & l. 5. Metaph. c. 2. (b) l. 4. c. 17, 23 & 26. & c. (c) d. l. c. 19.

ret injussu Populi; mortis pœnâ propositâ, si quis contra faceret; & impunitate concessâ, si quis talem occideret. Alteram, in qua statutum est, si quis Magistratus unum aliquem civem capite plectere, aut flagris cadere, aut pecuniis mulctare velit, licere privato provocare ad Populi Judicium: nec interim Magistratui licere, in eum animadvertere, donec Populus suffragiis suis de eo statuerit. Has igitur ut SENATORES iterum everterent, illud jam supra, Cap. II. Sect. I. §. 2. memoratum Sctum proposuerunt. Hoc quid sibi vellent [verba Dionysii sunt (a)] non satis intelligentes Plebeji, Senatus-Consultum ratum fecerunt: quamvis major esset hujus Magistratus potestas, quàm legitime Tyrannidis: simulq; Senatui permiserunt, ut privatò consiliò Magistratum illum legeret.

§. 6. Causa consistebat in Scto, quo potestatem dabant Patres Conscripti Consulibus eligendi Dictatorem. Etenim, cum circa initia Dictaturæ introducendæ sollicitus esset Senatus, utri Consulium Magistratum Tyrannidi parem committeret, quidam censebat, uti daretur alteri potestas nominandi alterum Dictatorem. Eaque sententia omnibus placuit, nec additò ullo verbò Sctum factum est: veluti fusè id enarrat Dionysius l. 5. c. 80, & 81. Atque hoc etiam deinde obtinuisse, ex §. 2. hujus Sectionis clarum est. E locis quibusdam Livii, (b) ubi scribit: SENATUS Dictatorem dicere JUSSIT, colligi posse videtur, aliquando solum Jussum, sine Scto suffecisse: Quod tamen temerè asserendum haud est; cum mentio illa Jussus morem consuetum, per Sctum videlicet, fortean includat potius, quàm excludat.

§. 7. Causa efficiens proxima erat ALTER CONSULUM. Expressè hoc Plutarchus (c) docet, qui ita ait: Dictator enim neq; à Populo, neq; à Senatu eligi; sed Consulium aliquis, aut Prætorum progressus ad Populum, eum, quem ex usu fore putat, Dictatorem dicit. Quod de Prætoe dicit, videtur Cæsaris tempora respicere: quæ num in exemplum trahenda sint, dispiciendum aliis relinquo. De Consule res expedita, quin certissima est. Sic enim alter Consulium Nautius Dictatorem designavit

L. Cin-

(a) d. l. c. 79. (b) l. 4. c. 17. & 23. l. 7. c. 19. (c) T. I. in Marcello. c. 42.

L. Cincinnatum, ceu testatur Halicarnassensis l. 10. c. 27. Pari-
formiter, ad C. Sulpitium Dictatorem dicendum, ex agro ho-
stili alterum Consulam C. Plautium accitum fuisse, Livius l. 7. c.
12. indicat, qui exempla hujusmodi plura recenset, quæ omnia
hec afferre, instituti mei ratio prohibet, videri tamen imprimis
possunt Lib. 23. c. 22. & lib. 27. c. 5. & 6.

§. 8. *Ratio causandi causæ efficientis proximæ remota,*
erat Consulatus eo anno initus. Proxima verò actualis admini-
stratio Consulatus eo Mense, quo ad ipsum pertinebant fasces. Bi-
nos enim numerò fuisse Consules, Mensibusque fasces tenuisse
alternis, non obstante, quòd ipsi creari unà siveverint, ex A. R.
Scriptorib. colligere cuique promptum est. Ecce verò utrique
simul fascibus uti integrum non erat, rationem Patavinus (a)
reddit hanc: ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror vide-
retur. Ita expressè Alexander ab Alexandro, (b) quotiesq; in-
quit, alteri ex Consulibus dicendi Dictatorem potestas fuit, semper
illi, qui fasces, h. e. [veluti Boëmus (c) explicat,] summum tum in
Urbe imperium haberet. Desumfit hanc sententiam procul du-
bio ex verbis Livii, quando hunc in modum scribit: (d) Æmilius,
cujus tum fasces erant, Collegam Dictatorem dixit. Etsi verò haud
negemus, nostram opinionem præcisè ex his verbis non exsculpi
posse, vero tamen similis admodum videtur: Cum & hæc ipsa
Dictatoris denominatio ad Imperii Consularis exercitium extra
controversiam pertinuerit. Nec impedimento est exemplum,
quod Dionysius (e) refert, A. U. C. CCLX. Coss. Aulum Vir-
ginium Cœlimontanum, & T. Veturium Geminum unanimi
consilio, Manium Valerium, fratrem Publii primi Consulis, jam
senem, creasse Dictatorem: aut verba Livii (f) hæc: Sed curæ
fuit Consulibus, & Senioribus Patrum, ut imperium suo veemens,
mansueto permitteretur ingenio, Marcum Valerium Dictatorem,
Volesi filium creant. Uti nec illud, quòd Virginius, (g) dum
Collegam consuleret, moratus, permittente eo, nocte Dictato-
rem dixerit. Siquidem hæc omnia referri saltim videntur ad
personam eligendam, sive Objecti individualitatem, ut cum Philo-

B 2

sophis

(a) l. 2. c. 1. (b) G. D. l. 4. c. 23. (c) l. 3. de Morib. Legib. & Ri-
tib. Gent. (d) l. 8. c. 12. (e) l. 6. A. R. c. 34. (f) l. 2. c. 30. (g) idem l. 4. c. 21.

sophis loquar, non ad causæ efficientis rationem causandi. In primo Dictatore tamen designando illud ipsum observare non licet: Ibi namque, enarrante Dionysio, (a) Senatus certis de causis potestatem dabat utriusque Consulium dijudicandi, uter ipsorum aptior ad Imperium esset? Quin immò & S O R S aliquando facultatem dicendi Dictatorem dedisse invenitur. Exempli loco adferre lubet illud apud Livium, (b) ubi dicitur: *Sors, ut Dictatorem diceret, [nam ne id quidem inter Collegas convenerat,] T. Quintio evenit. Is A. Postum. Tubertum socerum suum, severissimi Imperii virum, Dictatorem dixit.*

§. 9. *Causalitas*, five id, quo actu jam denominatus Consul ad effectum concurrebat, erat *Denominatio*. Sic coacto Senatu, detrectantem tunc etiam, & contra omnium monita non decedentem de proposito T. Largium Cos. assurgens Collega ejus Clælius Dictatorem pronunciat. Dionysius (c). Ita quoque L. Quintius Capitolinus Consul Cincinnatum denominasse legitur apud Livium. (d)

§. 10. Ex hæcenus dictis patescit, hunc Magistratum, veluti reliquos, per Populi suffragia creari solitum non fuisse, ne quando fortean Respublica subitum, celereque exposceret remedium, tum demum expectanda suffragia essent, quæ in diversum sæpè abire atque sic remedium nimium quantum tardare solent. Nam, ut disertè Vates canit: *Velle suum cuiq; est, nec voto vivitur uno.* Accedit, quòd etiam haud exiguum temporis absumeretur, antequam Populus in Campo, ubi fieri suffragia debent, conveniret. Nec potestas hanc instituendi dignitatem Plebi erat. Atenim sæpiusculè adversus eandem [ut infra audiemus pluribus acturi de fine,] instituebatur: ecquomodo igitur à Plebe institueretur?

§. 11. Manet ergò, jus hoc penes unum è Consulibus ORDINARIE semper fuisse. Etsi à Senatu quoque immediate Dictatorem Cincinnatum dictum esse, apud Livium (e) legamus: Observandum tamen est, istud factum esse modò extraordinariò, nec erravero, si dixerò, ob urgentissimam necessitatem. Nec obstat, quòd Tribuni Militum creaverint Mamercum

Æmi-

(a) l. 5. A. R. c. 80. (b) d. l. c. 26. (c) l. 5. c. 81. (d) l. prox. cit. c. 13. (e) l. 3. c. 26.

Æmiliū: quia & hi Consulari potestate creati, atque sic loco
Consulum, immò nihil aliud, quàm Consules erant. De hoc
Livius, (a) ita scribit: *In eo quoq; Plebs superior fuit, quòd tenuis,
ne Consules in proximum annum crearentur. Tribuni Militum
Consulari potestate quatuor creati sunt: T. Quint. Pennus ex Con-
sulatu, C. Furius, M. Postumus, A. Corn. Cossus. Et mox: Mæsta
Civitas fuit, vinci insueta, odisse Tribunos, poscere Dictatorem:
in eo verti spes Civitatis. Et quum ibi quoq; religio obstaret, ne non
posset, nisi ab Consule, dici Dictator, AUGURES consulti, eam
religionem exemere. A. Cornelius Dictatorem Mamercum Æmi-
lium dixit. Parili modò abs tali Militum Tribuno Dictator di-
ctus apud eund Autorem (b) Q. Servilius Priscus offenditur.*

§. 12. At enim verò, dixeris, Dictatorem quoque à Popu-
lo dictum esse, literarum momentis consignatum est. Sed scias
velim, actum hoc ob Consulis absentiam, nec Dictatoris, verum
Pro-Dictatoris nomine ejusmodi hominem insignitum fuisse,
quoniam, cum hæc potestas penes solos Consules esset, legitimè
non crearetur. (c) Quamvis, L. Fabium Maximum à Populo
Dictatorem, novò exemplò factum esse, Cælius atque Plutar-
chus (d) tradant: Eundem tamen Pro-Dictatorem duntaxat,
fuisse Patavinus, luculentior Auctor (e) ostendit hisce verbis:
*Itaq; ad remedium jam diu desideratum, nec adhibitum, Dictatorem
dicendum Civitas confugit: Et quia & Consul aberat, à quo uno
dici posse videbatur: nec per occupatam armis Punicis Italiam fa-
cile erat, aut nuncium, aut litteras mitti: nec Dictatorem Populus
creare poterat; quod nunquam ante eam diem factum erat, Pro-
Dictatorem Populus creavit Q. F. Maximum & c. Et alibi, (f)
omnium, inquit, propè annales Fabium Dictatorem adversus Anni-
balem rem gessisse tradunt. Cælius etiam eum à Populo creatum,
Dictatorem scribit. Sed & Cælium, & ceteros fugit, uni Consuli
Cneo Servilio, qui tunc procul in Gallia Provincia aberat, jus fuisse
dicendi Dictatoris: quam moram, quia expectare territa jam cla-
de Civitas non poterat, eò decursum esse, ut à Populo crearetur, qui*

B 3

pro

(a) l. 4. c. 31. (b) d. l. c. 46. (c) Vide sis observ. Wilhelmi Go-
delevai ad Livii lib. 22. c. 8. (d) T. 3. c. 8. in Annibale. (e) l. 22. c. 8.
(f) l. c. cap. 31.

pro Dictatore esset: Res inde gestas, gloriamq; insignem Ducis, & augenda titulum imaginis Posteris, ut Dictator Pro Dictatore diceretur, facile obtinuisse. Huic sententiæ quoque adstipulatur Johan. Calvinus. (a) Præclare Pighius, l. suprâ citato: aliquando ex Senatus voluntate ad Populum est latum, ut quem vellet, Dictatorem juberet, qui deinde à Consule diceretur, quemadmodum A. U. DXLIII. contigit. Tam enim Populi jussu, penes quem comitiarum habendorum jus erat, M. Marcellus Cos. Dictatorem Comitiarum habendorum causa dixit Q. Fulvium Flaccum; qui ex eod. Plebiscito P. Licinium Crassum [Pontificem Maximum] sibi Magistrum Eq. dixit, ut Auctor est Livius, l. 27. c. 5. & 6. Porro priscis illis temporibus hoc in usu non fuisse, verisimile est, quamdiu nulla à Dictatore ad Populum provocatio. Hæc ille.

§. 13. Nec est, ut quis urgeat exempla de Sylla & Cæsare, quòd nimirum ille ab Interrege, à Prætore hic dictus sit. Variè enim de his Autores sentiunt. Utrumque Godelevæus l. c. Pro-Dictatorem vocat. Utrumque contra jus factum, Cicero in Epistola 24. ad Atticum, lib. 9. indicare videtur. Imò, Syllam, seipsum constituisse Dictatorem, Plutarchus (b) asseverat: Id quod de Cæsare etiam affirmat Eutropius. (c) Ipse verò Cæsar (d) de se: *Massiliæ Cæsar Legem de Dictatore latam, seseq; Dictatorem dictum à M. Lepido, Prætoris cognoscit.* Quod Dio lib. 41. ita explicat: *Dum Cæsar adhuc in itinere moratur, M. Æmilius Lepidus, is qui postmodo Triumvir factus est, Prætor eo tempore, Populo consuluit, ut Cæsarem Dictatorem dicerent, idq; more patrio statim factum.* Verum tamen si Johanni Xiphilino, (e) Dionis Epitomatori credimus, *δεξιάωρθη τὴν δεξιὴν ταύτην ὑπὸ ἐκὼν αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ*, hoc Magistratu suscepto ultrò se statim abdicavit. Quod quidem de nomine Dictatoris, non autem de potestate ejus usurpata intelligendum esse, idem Autor innuit, subjungens: *εἰ καὶ τὴν ἐργασίαν αὐτοῦ ἐποίησε, quamvis ejus factis uteretur.*

§. 14. Postquam ostendimus, cuinam potestas creandi Dictatorem competierit, restat jam, ut etiam indicemus, quo tempore, quoq; loco dici Dictator sueverit. §. 15.

(a) in Lexico Jurid. & quidem tract. de M. R. voce, Pro-Dictator p. m. 1022. b. (b) T. 2. in Sylla c. 66. (c) H. R. l. 4. p. m. 541. (d) de B. C. l. 2. p. 519. (e) p. 14. è Dionis lib. cit.

§. 15. *Tempus* proinde quod attinet, *nocturnum* istud *ausspicatumq;* fuisse, ex Antiquitatum monumentis colligere facile est. Et quidem, quòd fuerit *nocturnum*, Livius aliquotiens in sua Historia Romana, cum primis verò l. 10. c. 38. satis clarè edocet, ubi: *nocte*, inquit, *deinde silentio*, [ut mos est.] *L. Papyrium Dictatorem dixit*. Fortèan, quòd Ejus silentium, [quæ opinio Marci Zueri Boxhornii (a) est,] huic curæ minus allaturum esset in turbata Rep. impedimenti. Quòd *ausspicatum*, Lex XII. Tabb. docet, ubi expressè requiritur, ut sit *avi sinistra dictus*. h. e. felici omine. Quod ut satiùs intelligatur, transcribere huc lubet, quæ hoc de habet Pomponius Lætus: (b) *Locus Augurii templum erat, Augur versus Orientem sedebat, capite velato, lituum dextra tenens manu, id est, curvum baculum, quo in Cælo regiones dividit: & quæ auguria veniunt, prædicat. Si leva fuerint, quia aliena parte septentrio est, felicia pronunciat, pars illa urbis propter altitudinem prospera putatur, & à dextra parte Meridies, quia depressus est, infelix.*

§. 16. *Locus ordinarius* erat *ager Romanus*, Italiâ terminatus, ceu aperta, quæ Titus Livius (c) hoc de habet, verba testantur hæc: *Patres extra Romanum agrum [eum autem in Italiâ terminari,] negabant Dictatorem dici posse*. Hinc, sicut apud eundem Autorem (d) legimus, *Patres M. Valerium Messalam, Dictatorem, quòd à M. Valerio Consule in Sicilia creatus fuisset, non agnoscebant; sed alium intra agrum R. dici curabant, atque ita a Marcello Cons. Q. Fulvius, qui tum ad Capuam erat, Dictator dictus.*

SECTIO III. DE SUBJECTO.

§. 1.
Quemadmodum causa hujus dignitatis efficiens; Sic & ipsius *Subjectum* duplex erat: Remotum videlicet, atque proximum.

§. 2.
(a) In dissert. polit. c. 9. de Dictatore. (b) de Magistr. & Sacerd. R. l. 2. c. 5. (c) l. 27. c. 5. Addatur Raphaël Volaterranus l. 1. de M. R. (d) l. c. c. 6.

§. 2. *Subiectum remotum* erant *Patricii*, [h. e. *progenies Patrum*, seu Senatorum à Romulo ita dicta, Liv. l. 1. c. 8.] iis quippe mediatè, mediante sc. Consulatu, id est, postquam Consulatum gesserant, hic Magistratus deferebatur. Nam si solummodò Consulares, uti mox audiemus, ad hunc Honorem, & verò, nec nisi Patricii, referente Rosino, (a) initiò ad Consulatum admissi fuèrunt, utique hi ipsi *subiectum remotum* fuerint, necessè est.

§. 3. *Evecti* verò duntaxat Patricii ad hanc dignitatem vel ideò videntur, quòd in illis plus autoritatis, atque in Plebejis; vel, quòd *penes Patricios divitia*, teste Alexandro ab Alexandro (b) *maximè essent*, atque sic *majorem vim opesq;* ad defendendos egenos conferre possent. (c) Immò in anceps subindè periculum Respublica præcipitetur, si maximi honores, ac potestas summa Plebejis committantur. Videre hoc ex unico Ephorum exemplo est, qui Lacedæmone è Plebejo ordine legi solebant, de quibus Archi-Philosophus (d) ita scribit: *Ea, quæ de Ephoria, non rectè se habent: Nam Magistratus hic, apud ipsos est ille quidem maximarum rerum Dominus, fiunt autem omnes ex Populo, ut sæpè valdè Pauperes accidat esse in hoc Magistratu, qui propter paupertatem sunt venales: quod cum antea videre licuit, tunc nunc in Andriis. Nam hinc pecuniâ corrupti quidam totam Urbem pro sua parte perdidierunt: Et quia imperium valdè est magnum, Et quasi tyrannicum, Reges quoque iis blandiri coguntur; ut hac quoq; parte Reipubl. noceatur.*

§. 4. *Subiectum proximum* fuèrunt CONSULARES, h. e. qui consulatum gesserant. Evoluturo enim A. R. Conditores, patefiet, omnes, qui hoc donati fuerunt honore, modò factum id legitimè fuerit, *Consulares Viros* fuisse. Omnia ex Historiis heïc, si opus esset, adferre possemus exempla; verùm chartæ parcentes ea omittimus, solis illis insignibus Livii (e) verbis contenti, quibus ait: *Consularem legere: ita Lex jubebat de Dictatore creando latu.*

§. 5. Verùm enim verò, ut nihil hïc dissimulemus, mos hic adeò firmus, atque in perpetuum observatus non fuit.

Poste-

(a) l. 7. A. R. c. 9. (b) l. 3. G. D. c. 3. (c) Boxborn. *Inst. Polit.* l. 1. c. 8.
(d) l. 2. *Polit.* c. 9. Conf. Arnold. *Clapmar. Arcan. Rerump.* l. 3. c. 38.
(e) l. 2, c. 18.

Posterioribus namque temporibus, posteaquam nempe Lege Licinia etiam Plebeji homines ad CONSULATUM admittebantur, factum inde tandem est, ut & DICTATURA iis ipsis concederetur. Primus autem C. Martius Rutilus de Plebe Dictator dictus, à M. Papilio Lænate Cos. (qui ob Sapiensiam, in corde tanquam animæ domicilio proprio, juxta Peripateticos habitantem, Ciceroni in Bruto dicitur *Corculum*;) sed Patribus indignantibus, apud Livium (a) legitur: Ut & Q. Publilius Philo de Plebe Consul, apud Eundem: (b)

§. 6. Ratio causandi proxima fuit rerum civilium, & militarium peritia. De hoc Halicarnassæus (c) Ita inquit: *Mox sollicitè agitatum fuit in Senatu de viro ad hoc idoneo. Videbatur enim Respublica opus habere gnavo aliquo viro, rei que militaris peritissimo; ad hæc prudente, ac temperato, qui se potestatis amplitudine à Sapiensie præscripto abduci non sineret: quid, præter hæc, & ceteras boni Imperatoris virtutes, habenas Imperii stringere nosset, nec se in castigandis immorigeris mollem præberet; & ut Plutarchus (d) ait, qui Magistratum hunc impavidè gereret.*

§. 7. Causa est honoris hujusdem acceptatio. Per hanc ipsam enim tandem quis formaliter Dictator reddebatur. Notum enim è Dionysio (e) est, Lartium diu repugnâsse, cum ei Magistratus hic deferebatur.

§. 8. Quâ ætate quis ad Dictaturam admissus fuit, de hac certi ex Historiis determinari nihil, iudicium tamen fieri vel exinde facile potest, quoniam Dictatores creati plerumque, velut innuimus, è Consularibus fuere. *Apud Majores, inquit Tacitus, (f) virtutis id premium fuit, cum etisq; Civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima statim Juventa Consulatum, & Dictaturas inirent.*

§. 9. Sicuti quod ostensum supra est in §. 7. S. II. UNI SOLI Magistratum hunc constituendi facultas concedebatur: Sic parili ratione UNI solummodò iste Magistratus conferebatur; id quod ex omnibus, quos equidem elaborationi hujus dissertationis adhibui, Historiæ Romanæ conditoribus videre est:

C

(a) l. 7. c. 17. (b) l. 8. c. 12. (c) l. 5. A. R. c. 80. (d) T. 1. c. 6. in Fabio. (e) d. l. c. 81. (f) l. 2. Annal. c. 22. comm. 3.

putat-

putatque Hippolytus à collibus [ut Auctor se vocat,] in suo Principe, (a) factum id eò fuisse, quòd faciliùs unius Imperio pareatur, faciliùs Subditorum impetus refranentur & quòd non oportet, mentes retrahantur; quàm multorum. Et appositè VIR ille de re Rom. longè meritissimus, Justus Lipsius, (b) hoc ipso de Magistratu agens: *Major, inquit, & concordior vis in unius imperio, quem Collega nemo aut improbe turbat, aut imperitè tardat.* Hinc quoque Græci olim, [quod Homerus (c) commemorat,] ad Trojam ituri, licèt non destituerentur viris fortissimis, unum solum tamen Agamemnonem *universis* præficiendum existimârunt. Quantum namqve plurium in bello imperium adferre possit detrimenti ac damni, docet Tribunorum Militum consulari potestate creatorum Exemplum, quod Livius (d) hisce recenfet verbis: *Tribuni militum Consulari potestate quatuor creati sunt. T. Quint. Pennus ex Consulatu, C. Furius, M. Postumius, A. Corn. Cossus: Ex iis Cossus præfuit Urbi, tres delectu habito profecti sunt Vejos, documentog, fuere, quàm plurium Imperium bello inutile esset, tendendo ad sua quisq, consilia, cum aliud alii videretur, aperuerunt ad occasionem locum hosti. Incertam namq, aciem, signum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus, invasere opportunè Veientes: castra propinqua turbatos, ac terga dantes accepere.* Plura hanc in rem videri possunt apud Arnisæum *Relect. Polit. l. 2. c. 7. Sect. 2. n. 27.*

§. 10. Bis tamen duos Dictatores eodem tempore fuisse, ex Livio, (e) itemqve ex Plutarcho (f) constat: Scilicet, unà cum Fabio Maximo Minutium, cui æquabatur potestas, cum ille pugnam conferere cum Hannibale recusaret; & unà cum M. Junio Fabium Buteonem, qui illo in castris commorante eligebatur in Urbe ad explendum Senatam post calamitatem Cannensem.

SECTIO

(a) c. 1. sub fin. (b) de Magistr. Vet. Pop. R. c. 17. (c) l. 2. Iliad. (d) l. 4. c. 31. (e) l. 22. c. 26, & l. 23. c. 22. seq. (f) T. 1. in Fab. c. 16.

SECTIO IV. DE FORMA.

§. 1.

Forma, seu potius, si propriè loqui velis, *ratio* hujus dignitatis *Formalis* propter temporum varietatem varia quoque fuit. Considerari tamen vel in genere, vel in specie potest.

§. 2. In genere Dictatura dicitur *imperium extraordinarium* (a); *maximum Imperium* (b); *summum* item *imperium*, cui *parent Consules*; *regia potestas* (c), *maximum* denique *in civitate imperium* (d); nec non *liberum solutumq; imperium* (e). Unde Polybius (f) de Dictatore: *Neq; ex SCto. inquit, neq; plebiscito, sed sua sententia, quæ sibi placent, imperat.* Eutropius (g) cum Cæsarum potestate comparat, dicendo: *Neq; quicquam similis potest dici, quàm antiqua Dictatura, huic Imperii potestati, quam nunc tranquillitas vestra habet.*

§. 3. In Specie à Lipsio (h) recensentur hæc jura: *potestas agendi de pace belloq; scribendi exercitus, educendi item, dimittendi, omniaq; negotia liberè & pro arbitrio gerendi, adeò, ut nihil horum ad Senatum referre necessum habeat, qui hunc gerit honorem: Non enim solùm jus omne duorum Consulum translatum in unum, sed & bona illi, civitatemq; adimere jus est, itemque animadvertere in vitam & caput Civium; Imò, observante Pighio T. 1. l. 2. p. 82. Magistratus, Senatum, judicia mutare, Tribunitiam potestatem tollere, Legibusq; patriis abrogatis, Leges ex arbitrio suo novas figere atq; refigere. Quin in vineula etiam conjicere & capite indictâ causâ plectere, quem velit; Dictatori licere, Plutarchus (i) refert, idq; sine ulla provocatione, seu, uti nob. hodiè audit, *appellatione.**

§. 4. Immunem autem Magistratum hunc à provocatione fuisse, ex Appii Claudii verbis, quæ apud Livium (k) habentur, sat claris colligere licet, quando ait: *Agedum, Dictatorem, à quo provocatio non est, creemus. Jam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor. Pulset tum mihi Licetorem, qui sciet jus de tergo,*

C 2

vitaq;

(a) Livius l. 5. c. 37. (b) l. 6. c. 7. (c) l. 8. c. 32. (d) l. 22. c. 10. (e) Plutarchus T. 1. in Fab. Max. & Marc. (f) l. 3. (g) l. 1. p. m. 489. (h) l. 6. (i) T. 1. in Fabio. c. 15. (k) l. 2. c. 29.

vitaq³ sua penes unum illum esse, cujus majestatem violavit. Nec minus clarè id Quintii Cæsonis Patris, Consulis, verba (a) ostendunt, quibus inquit: *se Consulum Comitiam non habiturum, non ita Civitatem agram esse, ut consuetis remediis fisci possit; Dictatore opus esse Reip. ut qui se moverit ad sollicitandum statum civitatis, sentiat sine provocatione Dictaturam esse.* Et ipse Patavinus (b) de Dictatore: *Neque enim, inquit, ut in Consulibus, qui pari potestate essent, alterius auxilium, neq³ Provocatio erat.* Et quanquam post Decemvirorum sublatam tyrannidem Lex [ut ex modò dicto Auctore (c) constat,] lata erat: *ne quis ullum Magistratum sine provocatione crearet: qui creasset, eum jure fasq³ esset occidi: neve ea cedes capitalis noxa haberetur:* Post illam ipsam tamen legem adversus Dictatoriam vim [Cornelii Cossi,] nec Tribuni plebis, nec ipsa Plebs, velut ex eod (d) apparet, attollere oculos, aut biscerere audebant. Quæ verba luculenter satis docent, nullam hæcenus à Dictatore fuisse provocationem.

§. 5. Sunt tamen, [quorum ex numero quoque Bodinus (e) est,] qui Dictatoris potestatem Tribunorum atque Plebis pedibus subjicere non verentur, dicentes, Populum Fabio à Papyrio, atque Minucio à Fabio Maximo Capitis damnato gratiam fecisse, contra Dictatoris voluntatem; & ad hanc suam sententiam stabiliendam utuntur M. Fabii oratione, quæ apud Livium (f) sic legitur: *M. Fabius Senex, ad L. Papyrium Dictatorem: quandoquidem, inquit, apud te nec Auctoritas Senatus, nec atas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitasq³ Magistri Equitum à Te ipso nominati valet: nec preces, quæ sæpè hostem mitigavère, quæ Deorum iras placant; Tribunos plebis appello, & provoco ad Populum: eumq³ tibi fugienti exercitus tui, fugienti Senatus judicium, judicem fero qui certè unus plus, quàm tua Dictatura, potest, polletq³. Videro, cessurusne provocationi sis, cui Rex Romanus Tullus Hostilius cessit.* Sed nihil hac evincunt, potestque eodem jure iis reponi Dictatoris oratio, quæ (g) ita fatur: *Quæro de te, L. Fabi, cum summum Imperium Dictatoris sit, pareantq³ ei Consules, regia potestas, Prætores iisdem auspiciis, quibus Consules creati, æquum*

(a) ap. Liv. l. 3. c. 20. (b) l. 2. c. 18. (c) l. 3. c. 55. (d) l. 6. c. 16. (e) l. 1. de Rep. c. 8. (f) l. 8. c. 33. (g) d. l. c. 32.

*eenfeas nec ne, Magistrum Equitum dicto audientem esse. Immo
verò, ut dicam quod res est, potius contrarium indicant: Ni-
hil namque Judex ille, nisi precibus, obtinuit. Id quod etiam auctor
Epitomes Libri Livii 8. f. docet, quando ait: Fabius Romanam
profugit, & cum caussa parum proficeret, Populi precibus donatus
est. Postquam enim Papyrius Tribunis amplis verbis exprobras-
set, ipsos inviolatos violasse intercessione sua Romanum Imperi-
um atque Populum R. in se potissimum Dictatorem & jus Dictaturæ
extinguere; eò adegit stupentes Tribunos, & suam jam vicem ma-
gis anxios, quàm ejus, cui auxilium ab se petebatur, ut, consensu Po-
puli Romani, ad preces, & obtestationem versi, orare Dictatorem
non dubitaverint, ut veniam errori humano, veniam adolescentiæ
Q. Fabii darent: satis eum pœnarum dedisse. Jam ipse Adolefcens, jam
Pater M. Fabius contentionis obliti, procumbere ad genua, & iram
deprecari Dictatoris. Tum Dictator, silentiò factò; Benè habet,
inquit, Quirites, vicit disciplina militaris: vicit Imperii majestas:
quæ in discrimine fuerunt, an ulla posthanc diem essent. Non noxæ
eximitur Q. Fabius, qui contra edictum Imperatoris pugnavit: sed
noxæ damnatus, donatur Populo R. donatur Tribunitiæ potestati,
precarium, non justum, auxilium ferenti. Ad alterum Exemplum
de Minucio respondebitur infra, Sect. VI. §. 9.*

§. 6. Ast verò, cum jam tertio Lex de provocatione lata
esset, (a) Dictatoris potestas quidammodo diminuta
videbatur, ceu suadere videtur Sextus Pompeius Festus (b), in-
quiens: OPTIMA LEX, cum nominabatur in Magistro Populi
faciendo qui vulgò Dictator appellatur, quàm plenissimum posset
jus esse, significabatur. Ut fuit M. Valerii M. F. Volusi Nepotis, qui
primus Magister Populi creatus est. Postquam verò Provocatio ab
eo Magistratu ad Populum datum est, desitum est dici, OPTIMA LE-
GE, utpotè minuto jure posteriorum [vulgò priorum] Magi-
strorum.

§. 7. Quæstio hæc aliqua sese offert, non minus jucundita-
tis, atque utilitatis fovens: Utrum sc. Dictator Majestatem habue-
rit? Adducuntur autem rationes pariter ac autoritates utramque
in partem sat graves. Nos, quæ Historiarum monumenta sup-
pedi-

C 3

(a) Livius l. 10. c. 9. (b) l. 13.

peditabunt, jam consideraturi sumus, *salvis tamen aliorum judi-*
ciis. Atque ut hinc ordiamur, primo Dictatori Majestatem tri-
 buere Halicarnassæus l. 5. videtur. Postea enim quàm cap. 79.
 hujus libri commemoraverat, Scto. decretum esse, *unum virum*
à Senatu electum, Populiq; suffragiis approbatum, habere semestrem
potestatem rerum omnium, ampliolem, quàm sit Consul: Non
 solum subjungit, MAJOREM hujus Magistratus POTESTA-
 TEM esse, quàm LEGITIMÆ TYRANNIDIS; Immo c. 80.
 MAJOREM REGIA, & in sententia cujusd. Senatoris, PA-
 REM TYRANNIDI; Sed etiam delineat Eum c. 82. tali de-
 scriptione: *Hic [T. Largius] primus omnium Romæ Monarcha de-*
signatus est, cum plenaria belli ac pacis, omniumq; aliarum rerum
potestate; & Dictator appellatus, à potestate imperandi & edicen-
di quidlibet, tum aliis equa & justa pro suo arbitrio prescribendi.
 Et paulò post: *Potestatis sanè, quàm Dictator habet, magnitudo*
ipso vocabulò haudquaquam declaratur: Nam electitia quedam
Tyrannis est Dictatoria potestas. Sic idem Auctor l. 6. c. 2. A. U. C.
 258. redintegratum bellum Latinum describens, Dictaturam
 vocat UNIUS HOMINIS IMPERIUM, quòd pro SUO AR-
 BITRATU administraret omnia, nec ulli rationem reddere tene-
 retur.

§. 8. Verùm, an ex his Dionysii verbis intelligenda MA-
 JESTAS illa veniat, quæ Peripateticorum Principi (a) descri-
 bitur, τῆς πόλεως πανταχῆ κύριον in civitate summa ubiq; pote-
 stas, valdè, nec immeritò dubitatur: Cum ex nuda Dionysii, Græ-
 ci Scriptoris appellatione standum neutiquam esse videatur, at-
 que de statu Reipublicæ dignoscendo alia ab aliis statuuntur κρι-
 τήρια. Easdem cum Dionysio tibi inflare videtur Polybius,
 (b) de Consulibus atque Dictatore ita scribens: κ' αὐτοὶ μὲν ἐν
 πολλοῖς προσδέουσαι τῆς συγκλήτης πρὸς τὸ συντελεῖν τὰς ἐπιβο-
 λὰς: ἅτε δ' εἰσὶν ἀνταρξότερα στρατηγός. h. e. Illis quidem ad
 multa perficienda, quæ proposuerint, Senatus auctoritate est opus:
 hic sui planè juris est Imperator. Non tamen existimandum est, ex
 eo, quòd alicui summa rei militaris concedatur, id propter sta-
 tim esse Monarcham Aristotelicò more dictum: Quemadmo-
 dum

(a) 3. Polit. c. 6. (b) l. 3. p. m. 238. d.

dum, nec Albertum, Fridlandia Ducem, etiam si ei à Ferdinando II. concessa eadem fuerit, quis pro Cæsare agnovit. Sanè, Dictatorem Patrum imperio Populique arbitrio subicere videtur Livius, (a) quando hunc in modum scribit: *A Cornel. Cossus, Dictator exercitum in stativis tenebat, minimè dubius, bellum PATRES JUSSUROS.* Et alibi: (b) *T. Manlius Lucii filius Dictator, ex AUCTORITATE PATRUM ac POPULI JUSSU, Caritibus bellum indixit.* Patescit igitur ex his, illum non tam *Majestatem*, quàm *exercitium Majestatis* habuisse, nec suis, sed S.P.Q.R. auspiciis egisse, quicquid egit. Accedit, quòd Consulum locum tenuerit: Jam autem Consulatus Magistratus erat, h. e. dignitas civilis, non autem *Majestas* quædam, nisi Latinæ Linguæ ac Historicorum genius nos fallit. *Regeris*: Sed verò tribuitur ei ab omnibus, qui Historiam R. perscripserunt, *Summa potestas*, quæ cum *Majestate* convertibilis est. Resp. Contrarium proximè antecedentia jam demonstrarunt. Plura alia, quæ heic etiam loci ventilari possent, amata brevitate ergò superfedemus, resoluturi eadem, si ansa dabitur, *σὺν Θεῶν*, in conflictu.

§. 9. Insignia [ut & hoc addamus,] hujus Magistratus erant XXIV. fasces virgarum securibus alligati, totidemque, quæ eos gestabant Lictores, Sella item curulis, prætextaque purpurea. Namque, uti refert Polybius; (c) *Ὁ Διηπάτωρ τὰ ὑψηλὰ ἔχει τῶν Διφορῶν τῶν ὑπᾶτων τῶν μὲν γὰρ ὑπᾶτων ἑκατέρω δώδεκα πελέκει ἀκολῶθῶσι τῶν δ' εἰκοσι καὶ τέτταρες.* Inter Dictatorem & Consulem hæc est differentia; Consul utrumque duodeni securæ sequuntur: hunc verò, quatuor & viginti.

§. 10. *Fasces*, velut eos Reinerus Neihufius (d) describere amat, erant virgulæ, ex ulmo, aut betula, quibus collectis, devin-
 elisq; inter se illigabatur securis, ut ferri acies in summitate emineret; reliqua pars circumduciò locò tegeretur. Alii volunt duas fuisse perticas, ex quibus fasces Virgarum cum securi inclusa dependebant. Vid. Clariss. Buchnerus in thesauro Fabri, voce *Fasces*. In numis antiquis C. Norbani paullò aliter & quidem in medio

(a) l. 6 c. 14. (b) l. 7. c. 9. (c) l. c. Add. Lips. itid. l. sepius cit. Alex. ab Alexand. l. 4. c. 23. Plydor: Vergil. d. Rer. Inv. l. 2. c. 3. (d) in Examine Philol. 572.

medio securis conspicitur, uti videre est in Familiis Romanis Fulvii Ursini p. 176. & in thesauro numismatum Romanorum, tab. 25. n. 11, & 12. quorum Autorum videndorum copiam laudatissimus Dominus Bosius mihi benevolentissime fecit, quin & ectypum unius exhibuit aliquantulum à memoratis discrepantem. Ejusmodi virgas ex betulla arbore fieri suevisse, Plinius (a) innuere videtur hunc in modum scribens: *Gaudet frigidis sorbus, & magis etiam betulla: Gallica hæc arbor mirabili candore, ac tenuitate, terribilis Magistratum virgis &c.* Quam verò ob causam illigatæ virgis hisce secures fuerint, Plutarchus (b) indicat, sc: quòd, quæ scelera curabilia, virgis; quæ verò incurabilia sunt, curari securibus possint. Ita enim ille: *Quid est, inquit, quod Imperatorum virgis secures alligatæ præferantur? An signum est, Magistratum præcipitem ad iram & dissolutum esse non debere? an virgarum dissolutio, mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur? Verùm, cum scelerum alia medicabilia, incurabilia alia sint; illa, quæ mutari possunt, virgæ emendant; hæc, quæ corrigi non possunt, secures abscindunt.*

§. 11. Hæc de Fascibus dixisse sufficiant. Ordine nunc considerandi Lictores veniunt. Erant itaq; ii, qui cum fascibus Magistratus antecederent, illorumque jussu plagas delinquentibus ingererent. Dictos ita Tiro Tullius M. Ciceronis Libertus existimavit, à LICIO; vel LINO. Licio enim transverso inquit, quod Linium appellatur, qui Magistratibus præministrabant, cincti erant. Alii cum Valgio Rufo [quem citat A Gellius (c)] Lictores à LIGANDO nominatos esse autumant, quòd cum Magistratus Populi R. virgis quempiam verberari jusfissent, crura ejus & manus ligari vinciriq; à Viatore solita sint, isq; qui ex Collegio Viatorum officium ligandi haberet, Licior sit appellatus. Sallustio in Catilin. f. p. m. 35. adpellantur *Vindices rerum capitalium*, quibus preceptum erat laqueo gulam frangere. Videatur fusè Henr. Kipping. A. R. l. 2. c. 4. §. 7.

§. 12. Lictores excipit *Sella curulis*. Erat autem hæc, Auctore C. Bassio, supra quam Senatores, qui Magistratum curulem [i. e. majore]

(a) l. 16. c. 18. N. H. (b) Problem. f. quest. c. 81. Add. annot. Jo. Camertis ad L. Flori de gestis R. l. 1. c. 9. (c) l. 12. A. N. c. 3.

maiores] *gesfissent, confidentes in curru, honoris gratia in Curiam vehebantur, & quoniam reposita in curru erat, curulis dicebatur.* (a) Huic tamen derivationi [Judice Lipsio (b)] *Scriptura & dimensio repugnant: veriusq; à Curibus [oppidum olim Sabinarum erat,] dicta. Curule ebur* Horatio (c) audit, quòd ebore testata fuerit. Et coelatain fuisse sculptamque, Ovidius (d) indicat, ita canens:

*Signa quoq; in Sella nossem formata curuli
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.*

§. 13. De toga *prætexta*, quam Macrobius (e) *Magistratum gestamen* vocat, Lazius (f) observat, quòd eâ passim in Magistratibus constituti intra privatos parietes, ac sicubi iter ingrederentur, usi fuerint, tanquam toga minori atque expeditiori. Unde Ciceroni in Orat. pro Domo sua, *prætextati inimici iidem sunt, qui in Magistratu positi.* Et Corn. Tacitus (g) *Cæcinam Cos.* describit, *prætextâ & Licetoribus insignem.*

§. 14. His addendi sunt Equi phalerati. Quorum meminit Dionysius (h) quando ita scribit: *Præfectus Urbis Fabius misit, qui ad Imperium Quintium adducerent. Is fortè tum quoq; trahabat opus quoddam rusticum: & conspecta accedentium turba, suspicatus eam ad se venire, sumta veste paulò decentiore, processit eis obviam. Cumq; appropinquasset, oblatis sunt ei equi decoris ornati phaleris, assistere iussis XXIV. Licetoribus cum virgis & securibus, oblatae item vestes purpureae, & reliqua insignia, quibus olim regium Imperium exornabatur. Habebant & hoc [verba sunt Pighii] (i) *Dictaturâ functi honoris, quòd Ludos publicos prætextati spectare possent. Sic enim de M. Claudio Glicia memoria proditum est, qui bello Punico primo Dictator à P. Claudio Cos. in maximo Reip. periculo dictus est, & quamvis confestim à Senatu ob humilitatem conditionis abdicare iussus esset, nihilominus Ludos PRÆTEXTATUS deinceps spectavit, quod Livius lib. 19. refert.**

§. 15. Verùm, quanta quanta etiam hæc DICTATORIS extitit potestas, certis tamen circumscripta limitibus fuit. Et sane,

(a) Idem l. 3. c. 18. (b) d. l. c. 12. (c) l. 1. Epist. ad Numicium, 6. (d) de Ponto l. 4. Eleg. 9. (e) l. 1. Saturnal. c. 6. (f) l. 8. de Rep. Rom. c. 2. (g) 3. H. 31, 6. (h) l. 10. c. 28. (i) T. 1. l. 2. p. 84.

nè, benè: *Nunquam enim*, [uti non minùs verè, quàm prudenter Prudentiæ civilis Parens nunquam tacendus Tacitus (a) dixit,] *satisfida potentia est, ubi nimia est, atque jura minuuntur, quotiens gliscit potestas*, ait Cæsar pro Silano sententiam dicens apud modò laudatum Auctorem (b). Scilicet circumscripta certò eoque per brevi temporis spaciò legitur; quo de infra, tq. in loco commodiore, ubi aucturi de OPPOSITO sumus, plura dicemus. Locò deinde potestas illa includebatur; Nec enim permissum Dictatori cum Imperio extra Italiam ire, fuit, ne videlicet procul ab oculis Civium atque Senatûs, res faciliùs innovaret. Quamvis id, quod Livii Epitome XIX. observat, semel veteri Rep. violatum in Attilio Calatino sit, qui primus Dictator extra Italiam exercitum duxisse ibidem dicitur. Egregiè hoc illustrent verba Q. Catuli, quæ Gerhard. Coccejus (c) refert ex Dionis l. 36. hunc in modum differentis: *Dictatorem create, modò is ne ultra præstitutum tempus, nevé extra Italiam sit cum Imperio. Non enim vos fugit, studiosè id Patres nostros cavisse; ut invenire non sit, ullum unquam Dictatorem aliter constitutum fuisse, unico excepto* [A. Atilium Calatinum fuisse, opinatur Pighius T. 1. d. l. p. 53.] *qui in Siciliam nullam quidem rem gerens, profectus est quò rerum suarum testes ac observatores proximos Senatum Populumq; R. continuò haberet. Accedit, quòd nec equum conscendere ad bellum ituro liceret, nisi de hoc prius ad Populum deferret, velut ex Livio (d) discimus. Id enim, docente Plutarcho, (e) antiquitùs Lege prohibitum erat: sive, [adhuc Plutarchi verbis loquor,] quòd prisci Romani plurimùm roboris in pediatu ponebant, ideoque Ducem volebant in acie suis adstare; sive, quòd regia cum esset alioquin Dictaturæ potentia, omniaque sub se comprehenderet, volebant tamen hòc pactò ostendere, Dictatorem Populo esse obnoxium. Hinc M. Junius Dictator, rebus divinis perfectis, LATOQVE, ut Solet, ad Populum, ut EQVUM CONSCENDERE LICERET, præter duas urbanas Legiones &c. descendit equo. Senatus tamen petenti primò omnium Fabio Maximo Verrusco, contra L. veterem concessit, ut equo vehi militiæ posset; Datum*

(a) l. 2. Hist. c. 29. (b) 3. A. 69, 1. (c) in Comment. ad Tit. ff. de O. J. §. 18. p. 184. (d) l. 23, c. 14. (e) T. 1. in Fabio c. 6. autem

autem id hominis virtuti & tempori est, cum cæsis ad Cannas Romanis, in uno Fabio Dictatore creato melioris fortunæ spes reposita videretur, velut è Plutarcho (a) liquet. Nec denique, quod Joh. Cuspinianus (b) in suo Commentario ad M. A. Cassiodor. è Jo. Zonara refert, *pecuniæ publicæ aliquid impendere nisi ex Senatus decreto; ei licebat.*

§. 16. Et his cautionibus juxtâ ac modestiâ gerentium factum esse, inquit Lipsius l. sæpius cit. ut per annos CCCC. quietissime, optimoque publico Magistratus hic gereretur ad usque nimirum tempora Syllæ. Exemplum autem hoc cæteris suis reliquisse successoribus T. Lartius, apud Dionysium (c) dicitur. Verba sunt hæc. *His gestis domum reduxit exercitum, & antequam totum imperii tempus explevisset, designatis prius Consulibus. Dictaturam deposuit, nemine civium à se occisò, nec pulso in exsilium; nec aliis gravibus malis involuto. Id exemplum omnes postea Dictatores pari emulatione secuti sunt usq; ad ætatem ab hac nostra tertiam. Nusquam enim in omni Historia proditum reperimus, aliquem in hoc Magistratu se gessisse immodestè, vel inciviliter.* &c.

SECTIO V. DE FINE.

§. 1.

Postquam absolutam quoque pro ingenioli modulò dedimus partem hanc *Dictaturæ* sat gravem, [*formam* puto,] nunc prius, quàm ad reliqua divertamus, de FINE nonnulla præmittamus oportet. Etenim plurimum refert in omni genere, in omnibus negotiis, nosse finem, *cujus gratiâ*, teste Philosophorum Principe: (d) *omnia fiunt.*

§. 2. Erat autem *finis* hujus Magistratus *ultimus*, *salus* *Reipublicæ* *Romane*. *Proximus*, *motuum* *ex* *improvise* *obortorum* *compositio*. Notandum hîc probè est, interdum hujusmodi motum fuisse tantum internum, seu domesticum, h. e. seditionem; interdum externum tantum, nempe bellum; sæpissime verò u-

D 2

utrum-

(a) l. 6. (b) p. m. 75. (c) l. 5. c. 86. (d) 1, Etb. 6.

trumque concurrisse. Id quod probatum jam in §§. subsequen-
tibus daturi ordine sumus ex Livio.

§. 3. Sic itaque ob utrumque motum, bellum nempe Vols-
cum, seditionemque à M. Manlio, Consulari potestate Tribuno
excitatam, ægrè ferente, solum M. Furium in Magistratibus, so-
lum apud exercitum esse, Dictatorem dictum esse A. Cornel.
Cossium legimus libro 6. c. 11. & 12. Ita enim ille de hoc scribit:
*Bellum itaque Volscum grave per se, oneratum Latinorum atque Herni-
corum defectione, in speciem causæ iactatum, ut major potestas qua-
reretur; sed nova consilia Manlii magis compulere Senatum ad Di-
ctatorem creandum. Creatus A. Cornelius Cossius & c. Dictator etsi
majorem dimicationem domi, quam foris cernebat: tamen & c.
Nec minus lucis huic rei affandit exemplum, quod dictus Auctor
habet l. eod. c. 43. ubi M. Furius Dictator creatus ob bellum
Gallicanum fuisse legitur, quo vix confectò, insecuta seditio est.
Vix dum ait Livius, perfunctum eum bellò, atrocior domi seditio
excepit.*

§. 4. Ob internum motum tantum Camillus Dictator di-
ctus. l. eod. c. 38. reperitur, ubi: *Principio statim anni ad ultimam
dimicationem de Legibus ventum: Et quum Tribus vocarentur,
nec intercessio Collegarum Latoribus obstaret, trepidi Patres ad duo
ultima auxilia summum imperium, summumque ad civem decurrunt
Dictatorem dici placuit. Dicitur M. Furius Camillus. Et M. Fabius
l. 7. c. 22. De hoc Patavinus ita scribit: Dictatorem quoque hic an-
nus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, sed ne Licinia Lex comi-
tiis Consularibus observaretur.*

§. 5. Propter motum tantum externum, h. e. bellum &
quidem Prænestinum lectus T. Quintius Cincinnatus est. De hoc
prælaudatus Auctor, l. 6. c. 28. *Tandemque inquit, ab seditione ad
bellum versi, Dictatorem T. Quintium Cincinnatum creavere.* Sic
quoque solum ob bellum Hernicum, Ap. Claudium dictum esse
idem refert. l. 7. c. 6. & T. Quint. Pennum ob bellum Gallicum,
l. eod. c. 9. itemque Q. Servilium Ahalam, ob idem bellum, l. eod.
c. 11. Confer lib. eund. c. 12, 28. lib. 8, c. 12. 17. 29. lib. 9. c. 28.
l. 10. c. 3. l. 22. c. 57.

§. 6. Hæ igitur ipsæ causæ & deinceps præcipuæ semper
fuere,

facere, propter quas Dictatura institui solebat. Hinc quoque has ob causas creati, *serii veriq;*. Justo Lipsio (a) dicuntur *Dictatores*, ac tantum non, eodem Autore, legebantur hocce cum titulo: REI GERUNDÆ CAUSSA; quod ad bellum: vel, REPUBLICÆ GERENDÆ, sive etiam SEDITIONIS SEDANDÆ CAUSSA, quod ad turbas spectat.

§. 7. Qui proinde Dictatores ex caussis, quæ in Fastis passim expressæ extant, aliis dicebantur, *veri seriiq;* tales, juxta Autorem modò allegatum, non erant. Ut verò etiam de his caussis aliquid constet, ordine jam easdem persequi, animus est. Nimirum, legebantur quoque CLAVI FIGENDI CAUSSA, seu cum civitas graviore pestilentia morbo, aut alienis hominum mentibus laboraret, uti videre licet apud Livium, (b) qui hac de re hunc in modum scribit: *Itaq;* Cn. Genutio, L. Æmilio Mamercō secundum Consulibus, quum piaculorum magis conquisitio animos, quàm corpora morbi, afficerent, repetitum ex Seniorū memoria dicitur, pestilentiam quondam, clavo ab Dictatore fixo sedatam. Eā religione adductus Senatus Dictatorem clavi figendi causa dici jussit, & dictus L. Manlius est. A Calibi: (c) Itaq; memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam Plebis, clavum ab Dictatore fixum, alienatasq; discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse, Dictatorem clavi figendi causa, creari placuit, & creatus Cn. Quintilius.

§. 8. Lex de pangendo clavo Genutia Æmilia dicebatur, à Cn. Genutio Aventinensi, ac L. Æmilio Mamercō, qui eand. ex Scto tulere. Scripta, quod Livius (d) indicat, *priscis literis erat, verbisq;* ut, qui Prætor maximus sit, idibus septembris clavum pangat. Fixus autem fuit dextro lateri adis Jovis Optimi Maximi, ea ex parte, qua Minervæ [Sapientiæ, artium item & Bellorum Deæ] Templum est. Eum clavum, quia rara per ea tempora litera erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervæ templo dictam Legem, quia numerus à Minerva inventus sit. Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortia Etrusca Dea comparere, diligens talium monumentorum Auctor Cincius affirmat. Hactenus Patavinus. Ille Jurisperitus Neapolitanus

D 3

(a) de M. V. P. R. c. 17. (b) l. 7. c. 3. (c) l. 8. c. 18. (d) l. 7. c. 3.

tanus (a) insuper, clavos istos aeneos fuisse, atque morem hunc à Volsiniis emanasse, refert.

§. 9. Secundò creari hic Magistratus solebat COMITIORUM CONSULARIUM habendorum causa; videlicet, si quando Consules vel bellò intenti, vel morbo aliavè necessitate Comitiiis adesse non possent. Illustrari hoc itidem ex Livio (b) potest, sic differente: Consul concione advocatâ, laudatum Tribunum [erat is Marcus Valerius] decem bobus, aureâque coronâ donat, ipse jussus ab Senatu bellum maritimum curare, cum Pretore junxit castra. Ibi, quia res trahi segnitia Græcorum non committentium se in aciem videbatur, Dictatorem Comitiorum causa, T. Manlium Torquatum ex auctoritate Senatus dixit. Dictator Magistro Equitum, A. Corn. Cossa dicto, consularia comitia habuit. Et alibi: (c) Consules in privato additi, nihil pro Magistratu agere, nisi quod expressum S. C. to est, ut Dictatorem dicerent Comitiorum causa. Dici autem eosdem solitos fuisse Comitiorum causa Consulibus bello intentis, clariùs apparet ex libro ejusdem Autoris 8. c. 23. ubi ita legitur: Itaque cum & Comitiorum dies instaret, & Publilium imminens hostium muris avocari ab spe capiendâ indies urbis, haud è Rep. esset; actum cum Tribunis est, ad Populum ferrent, ut cum Publilius Philo consulatu abiisset, Proconsul rem gereret, quoad debellatum Græcis esset, L. Cornelio, quia ne eum quidem in Samniâ jam ingressum revocari ab impetu belli placebat, literæ missæ ut Dictatorem Comitiorum causa diceret: dixit M. Claudium Marcelum. Idem probant verba Ejus, quæ habentur l. 9. c. 43. quando sic infit: Dictatorem idem annus habuit P. Corn. Scipionem, cum Magistro Equitum P. Decio Mure. Ab iis, propter quæ creati erant, comitia Consularia habita, quia neuter Coss. potuerat bello abesse. Apprimè etiam huc facit locus qui continetur l. 25. c. 2. conceptus his verbis: Comitiorum jam appetebat tempus, sed quia Consules, bello intentos avocare non placebat, T. Sempronius Consul Comitiorum causâ Dictatorem dixit C. Claudium Centonem. Dictator primo Comitiali die creavit Consules. Quod denique comitiorum gratiâ Dictatores creati fuerint, cum Consules iisdem morbo aliquo impliciti præesse non valuerint, vel unicus hic Li-

vii

(a) l. 1. G. D. c. 6. (b) d. l. c. 26. (c) l. 9. c. 7.

vii locus l. 7. c. 24. retentus docet, quo dicitur: *Eademque causa Dictatoris desiderium Senatui fecit, ut esset, qui agris Consulibus Comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus.* Add. quæ habet Dionysius Halicarnassensis, l. 8. c. 104.

§. 10. Tertiò **FERIARUM** quoque **CONSTITUENDARUM** gratiâ Dictator dictus apud Livium (a) offenditur. Ita namque is; *quum plena, inquit, religione civitas esset; Senatui placuit, Dictatorem feriarum constituendarum causâ dici. Dictus autem Valerius Publicola.* Ut nimirum esset, ceu Alexander ab Alexandro (b) loquitur, *qui ferias indiceret, quiq; Ludis Romanis, aut quadrigis mittendis præesset.*

§. 11. Quartò, **QVÆSTIONIBUS EXERCENDIS**, cum sc. annotante modò allegato Jurisperito Neapolitano, (c) occultas Principum conjurationes, consiliaque clandestina Capuæ fieri percrebuisset. Qua dere apud Livium (d) expressa quoque habentur verba hæc: *Eodem anno, quum omnia infida Romanis essent, Capuæ quoq; occulta Principum Conjurationes patefactæ, de quibus, cum ad Senatum relatum esset, haud quaquam neglecta res est. quæstiones [veri inquirendi causa] decreta, Dictatoremq; quæstionibus exercendis dici placuit. C. Menius dictus.*

§. 12. Quintò denique **LEGENDI SENATUS** causa, quando sc. Patres in demortuorum locum suffici, ordinemque Senatorium suppleri opus foret, Eidem hoc negotium demandabatur, ut novos legeret Senatores, Senatumque sufficeret. Idque testante Rosino, bello Punico II. quippe in quo multi ceciderant, institutum est. Hanc igitur ipsam ob causam creatum Dictatorem M. Fabium Buteonem fuisse, Livius (e) indicat.

§. 13. An etiam, ut **SIGNUM MITTENDIS QVADRIGIS** daret, ambigit Livius, (f) ita scribens: *nec discrepat, quin Dictator eo anno A. Cornelius fuerit. Id ambigitur, belline gerendi causa creatus sit, an ut esset, qui Ludis Romanis, quia L. Plautius Prætor gravi morbo implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret.*

§. 14. In hoc negotio silentio non transilienda sunt verba

(a) d. l. c. 28. (b) l. 1. G. D. c. 4. (c) ibid. (d) l. 9. c. 26.
(e) l. 23. c. 22. (f) l. 9. c. 40.

ba Pighii, (a) qui contra Marlianum Disputans sic scribit: *Feriarum Latinarum, Comitiorumq; simul caussa, creatum Dictatorem ex Fastis Capitolinis constat, etiam rei gerundæ, & seditionis caussa. Verùm an rei gerundæ, & Comitiorum simul caussa, unus unquam Dictator dictus fuerit, non reperio. Nam alia ad res bellicas feliciter obeundas, seditionesvè per vim componendas, quàm ad civilem administrationem requirebantur auspicia.*

SECTIO VI.

DE EFFECTU.

§. I.

Acturi de Effectu hujus Magistratus, haud inconvenienter eundem in positivum, atque privativum dispefcimus. Sunt autem positivi tres: I. AUSPICIA IN EXERCITU. Docet hæc Livius l. 5. c. 46. ubi dicit, *compertum Camillo fuisse, eum non nisi Dictatorem dictum, auspicia in Exercitu habere posse.* Videtis hanc in rem Clariss. Boeclerum diff. Acad. 4. de auspicio regio. II. MAGISTRI EQVITUM CREATIO. Creatio namque Dictatore, confestim etiam Equitum Magister creabatur, neque ferè unquam alter absque altero in Republica Romana fuerat. Id quod satis superque firmari ex Patavino potest, Magistratus hos in sua R. H. semper ferè conjungente. Luculentissimè verò hoc ostendit Halicarnassæus, (b) dum ait: *Ergo mox, ut Magistratum iniiit [Largius Dictator.] Equitum Magistrum creavit Spurium Cassium, [Cossium eum Florus vocat] qui Consulatum gesserat circa olympiadem Septuagesimam, qui mos usq; ad nostram ætatem servatur à Romanis, nec ullus huc usq; Dictator imperium absq; Magistro Equitum gessit.* Hinc & Juvenalis (c) utrumque conjungit his versibus:

Post hac virga deducere multa

Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros.

§. 2. Dicebatur verò hic Magistratus immediatè quidem seu proximè, non à Consule, veluti Dictator, verùm ab ipso Dictatore, quod ex modò allegatis Dionysii verbis planum, atque in mul-

(a) T. 1. l. 3. ad A. CCCLXIV. p. 227. (b) l. 5. A. R. c. 85. Add. L. 19. §. Et his Dictatorib. ff. de O. J. (c) Satyr. 8.

multis Livii locis expressè videre est. Evolve in hanc rem si lubet, omnia hujusdem loca, quæ jam supra in hac nostra Dissert. citavimus, citabimusque ulterius infra. Populus tamen, cum Q. Fabium M. Prodictatorem jussit, eidem etiam M. Minucium Rufum Magistrum Eq. adjunxit, ut modò cit. Auctor (a) tradit.

§. 3. Equidem M. Fabius Buteo, tempore belli Punici Ildi. Senatui legendo sine Equitum Magistro dictus apud Livium (b) legitur; sed verò ille, cum neque duos Dictatores eodem tempore, neque Dictatorem absque Magistro Equitum probare se dixisset, perfecto ad quod creatus fuerat, munere, eod. statim die Magistratu se abdicavit.

§. 4. Personam quod concernit, quæ ad Magisterium evehenda esset, eam, docente Lipsio (c) esse è Consularibus, aut Prætoribus oportuit. Quod è Consularibus, etiam Dionysii verba §. 1. hujus Sect. suadere videntur, atque sic porrò inductione eorum, qui hunc Magistratum gessere, demonstrari, si quidem, quod jam toties monui, institutum nostrum permitteret, posset. Unde prælaudatus Lipsius (d) Dionem (e) ut insolentem notasse scribit, quòd Cæsar Magistrum Equitum elegerit Antonium, qui Prætor nondum fuisset.

§. 5. *Consulares* qui fuerint, jam ante Sect. III. §. 4. explanavimus, ideoque, ne actum agamus, crambemque, quod ajunt, bis coctam apponamus, B.L. istuc remittimus, solum h. l. dicturi quinam fuerint Prætores? Nimirum fuere *dignitate Consularibus proximi, atq; Consulium Collegæ adpellati*; quoniam [notantibus Livio, (f) & A. Gellio, (g) *iisdem auspiciis creabantur. Ita dici eos vult Varro, (h) sive quòd præirent, sive quòd præessent*: Definiunturque à Cicerone (i) *Juris civilis custodes, atq; disceptatores.*

§. 6. Neque hoc perpetuum fuit. At enim præter ordinem è Plebe etiam equitum Magistros dictos reperimus. Sic primus à Plebe, P. Manlio Dictatore, C. Licinius creatus est. Verum ægrè id passi Patres, & excusatum propinqua cognatione Licinii

E

& ne-

(a) l. 22. c. 8. Vid. et. Coccejus l. c. p. 186. (b) l. 23. c. 23. (c) d. l. (d) eod. l. (e) l. 42. (f) l. 7. c. 1. (g) N. A. l. 13. c. 14. (h) l. 3. de L. L. (i) l. 3. de LL.

Et negatum Magistri Equitum majus, quam Tribuni Consularis Imperium esse (a). Ita quoque primum de Plebe Dictatorem, Magistrum Equitum de Plebe dixisse idem (b) asserit his verbis: adversus eum terrorem, Dictator C. Marcius Rutilus primus de Plebe Dictus, Magistrum Equit. item de Plebe, C. Plautium, dixit

§. 7. Potestas hujus Magistratus proxima à Dictatoris, & [annotante Guilielmo (c)] summa in milites seu Equites erat. Unde ipsi nomen, sicuti memoravimus de Dictatore, eum Magistrum Populi nuncupatum esse, quòd penes ipsum summa in Populum R. potestas esset. Nec minus potestatis ei competierat in Accensos, (d) sic dictos: quia ad res necessarias sæpè accirentur. Erant autem hi, prædicto Guilielmo auctore (e) duplicis generis qui nimirum Præconum instar Populum ad Comitia convocabant; & qui in Exercitu Adjuvatores Centurionum, & Decurionum existebant, atque impeditis illis vicariam præstabant operam: Quos Optiones postea, quoniam Centurionum arbitrio cooptarentur, & honorem ipsum, Optionatum dixere. Atque in hos posterioris generis ACCENSOS potestatem Equit. Magistrum habuisse, dubitationi nullus relinquitur locus.

§. 8. Subjectum tamen Eum Dictatori esse oportebat, ceu colligi ex egregia de Q. Fabio Historia licet, quam B.L. videre potest ap. Livium l. 8. c. 32. descriptam. Add. l. 9. c. 23. Neque hoc, hoc de Magistratu silentii populo involvendum hæc duco, quòd, si quando fortassis Dictator Reip. causa, aut morbo graviore correptus abesset, ipse vices ejus in exercitu gerere, muniaque in se se suscipere necessum habuerit. Sic Minutium à Fabio, cui Equit. Magister adjunctus fuerat, vices in Exercitum accepisse, Plutarchus (f) scriptum reliquit, his verbis: Secundum hæc Romam à Pontificibus Sacrorum causa revocatus [Fabius] Minutio copias tradidit. Hac de re ita Poeta (g) canit:

Alloquitur Juvenem, cui mos transmittere signa,

Et belli summam, primasq; jubebat habenas.

Sin verò adesset Dictator, Magister Equit. Equestribus, velut ille Pedestribus, copiis præerat.

§. 9. Non

(a) Livius l. 6. c. 39. Confer. l. 10. c. 8. (b) l. 7. c. 17. Add. Georg. Vavobopius Scorus tractatulo d. M. V. P. R. Sect. 27. (c) l. c. (d) Addiz. hoc Fenestella. (e) l. c. (f) T. 1. in Fabio. c. 14 (g) Silius Punicorum. l. 7.

§. 9. Non obstat, quod Minutio æquatum cum Fabio Imperium fuisse legamus apud Livium (a). *Facti* namq; [liceat mihi] *J*ctorum terminis uti!] non *Juris* istud fuerat; An dicam, extraordinem factum esse? Utrumque indicare videntur verba Fabii; (b) *Omnia enim* ille ait, cum Minutius de dividendo imperio secum ageret, *fortunam habituram, quæcunq; TEMERITAS Collegæ habuisset; sibi communicatum cum illo; sed non ademptum Imperium esse. Itaq; se nunquamvolentem parte qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum: nec se tempora, aut dies Imperii cæco, sed exercitus divisurum: suisq; consiliis, quoniam omnia non liceret, qua posset servaturum.* Imò Minutius ipse, infelici successu cum Annibale pugnans atq; ab hostium manu à Fabio liberatus, tandem immerito sibi æquatum cum Dictatore imperium fuisse agnoscit, illudq; iterum abrogat, Fabium his verbis allocutus: (c) *Parentibus meis, Dictator, quibus te modò nomine, quo fando possum, æquavi, vitam tantum debeo: tibi quum meam salutem tum omnium horum [militum.] Itaq; Plebiscitum, quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo, abrogog;: Et quod tibi mibiq; quod meo exercitui tuoq; conservato, ac conservatori sit felix, sub imperium auspiciuq; tuum redeo Et signa hæc legionesq; restituo, tu quæso placatus me, Magistrum equitum, hos ordinibus suis quemq; teneri jubeas.*

§. 10. Nec istud heic silentiū pede transiliendum est, quod etiam injussu, seu contra edictum Dictatoris cum hoste confligere, aut aliud quidpiam audere ei non licuerit, atq; si quicquam contra ejus præscriptum moliri *de facto*, quod dicunt, ausus fuerit, in maximam apud Dictatorem pœnam inciderit. Exemplo id Fabii, itemq; ac M. Minucii, Equitum Magistrorum, evinci potest. Et ipsi namq; quod Livius, (d) atq; Plutarchus (e) memoriæ produnt, cum absentibus Dictatoribus, ac ab iis prohibiti, prælium commisissent, in gravissimum vitæ discrimen venêre, atq; nisi Populi precibus liberati, salutiq; donati essent, capitis supplicium subire coacti fuissent.

E 2

§. 33. Qua-

(a) l. 22. c. 26. *Add. Corn. Nepos in Hannibale 23, c. 5. comm. 3.*
 (b) l. d. c. 27. (c) eod. l. c. 30. (d) l. 8. c. 30, 31, & 32. & l. 22. c. 18. it. l. eod. c. 25. & 26. seqq. (e) T. I. in Fab. c. 15. & T. III. c. 33, in Annibale.

§. 11. Quales igitur Regum temporibus Tribuni Celerum, & tandem Præfecti Prætorio apud Cæsares; tales demum Equitum Magistros apud Dictatores fuisse, Andr. Dominicus Flocus (a) affirmat: Insigniaque, prætextam, curulem, & sex Lictores habuisse Dio (b) adserit.

§. 12. Illius denique hujus Magistratus Effectus positivus erat LEGATORUM CREATIO. Dictatores enim, ut Magistrum Equitum, ita & LEGATOS sibi dixisse, innuere videtur Livius, (c) cum scribit: *Legatos, Quintium Capitolium, & M. Fabium Vibulanum sequi se Dictator [Mamercus Æmilius] jussit.*

§. 13. Effectus privationis, ut sic loquar, fuit RELIQUORUM MAGISTRATUUM ABROGATIO. Ita enim Polybius: (d) *ἡκατάστατον ὅτι ὁ Δικτάτωρ ἀφαιρῶνται πᾶσαι τὰς ἐξουσίας ἐν τῇ Ῥώμῃ, πλην τῶν Δημοκράτων.* h. e. Quo [Dictatore] semel renunciato, ex tempore omnes reliqui Magistratus in Roma Tribunis exceptis, potestate exeunt. Et Dionysius: (e) fuit autem, inquit, [Scutum] tale: *Largium & Calium Coss. & si quis alius Magistratu aliquo, aut publico munere fungeretur, POTESTATEM DEPONERE.* Ac paulò ante (f) idem Auctor, decrevisse, ait, *Senatum CONSULARI POTESTATE in præsens SUBLATA, alium Magistratum creare, penes quem bellipacisq, & omnium aliarum rerum plena potestas esset.* Adhuc alibi (g) Idem scribit: *Sæpe Resp. SOLENNIBUS MAGISTRATIBUS ABROGATIS, omnia unius potestati permittere est coacta.* Horundem in sententiam ire quoque Plutarchus videtur, dicens (h): *Solus hic Magistratus [loquitur autem ceu planum est e præcedentibus, de Tribuno Pl.] Dictatore creato, manet, cum ceteri omnes aboleantur.* Et porro: (i) *Senatus autem, inquit, Magistratibus sublatis ad decimum belli annum Dictatorem fecit Camillum.* Observandum hic est, quòd cum dicebatur omnes reliquos Magistratus, creato Dictatore, dissolutos esse, exceptis Tribunis Pl. intelligendum sit post tertiam Dictaturam. Etenim post eam demum initium Tribunatum sumsisse, e Dionysio (k) colligere

(a) de Potest. R. l. 2. c. 9. Conf. e. 2. hujus l. & c. 22. (b) l. 42. & 43. Add. Lipsius. d. l. (c) l. 4. c. 17. (d) l. 3. p. m. 239. (e) l. 5. c. 79. (f) d. l. (g) d. l. c. 86. (h) T. 1. in Fab. c. 15. (i) d. l. & in Camillo. c. 8. Add. J. Gulielm. d. l. c. 5. & Lips. l. c. (k) l. 6. c. 80.

gere possumus. Inveniuntur tamen nonnulli Auctores, qui Consul-
um potestatem diminutam vel suspensam, quàm prorsus sublatam,
malunt. Solius Micrælii (a) verba jam in medium ferre lubet, quibus
dicit: *Ceterorum Magistratum potestas suspensa fuerat, non verò sub-
lata, excipe Tribunos Plebis.*

§. 14. Si quid verò in re ancipiti dicendum, Historiarum fi-
dem secuti, dicendum arbitramur, primitus abdicasse se Consules, reli-
quosq; Magistratus, huncceq; morem ordinarium fuisse. Extra ordinem
autem mansisse. Quantumvis de primo omnium Dictatore Livius di-
cat eum Moderatorem & Magistrum Consulibus appositum, (b) & (c)
A. Postumium, quia Collega dabiæ fidei fuerit, se consolatū abdicasse,
Dictatorem inde factum: Expressè tamen Dionysius, (d) Clælium
Consulatū ejurasse, scribit. Mansere verò Consules M. Valerio Di-
ctatore, ut apparet ex Patavino (e). Id quod etiam ex Halicarnassæo
(f) videre est, apud quem, abdicatâ Dictaturâ, Consules priores jussos
esse ab Senatu, nondum exercitum dimittere, legitur. Item L. Q. Cin-
cinnato; alter namque Consulū obsessus erat, quod Livius (g) re-
fert. Ac Posthumio Tuberto Dictatore etiam Consules mansisse, ex
eod (b) apertum est. Plura exempla vide l. 8. c. 40. l. 9. c. 21, & 22.
Nisi quis dicere vellet, Livium uti hoc vocabulo non tam in statu,
quàm secundum ampliacionem, velut Scholastici vocant: i. e. nomen
quidem dignitatis, quam antea habuissent, retinere, ut Dionysius
l. 6. c. 3. scribit, alteram copiarum partem à Dictatore A. Postum.
Virginio Consulatus Collegæ attributam. Et sanè equivocos fuisse
Consules sub Dictatore, satis abundè vel inde clarescit, quòd Cin-
cinnatus alterum in ordinem redigit (i); cùm tamen aliàs Consulū
suprema fuerit potestas. Quicquid hujus rei sit, inferiores tamen
fuerunt Dictatore, ac injussu ejus ne quicquam in Republica statuerunt.
Id quod ex Camilli Dictatoris verbis apud Livium (k) discimus: Ille
enim, cùm Capitolinus Exercitus, Senatu habito per Tribunum su-
um Publ. Sulpitium pacti essent de redemptione, jamq; pretium Gal-
lis appenderetur, intervenit, auferrig; aurum de medio, & Gallos sub-
moveri jubet, cùm illi renitentes pactos dicerent sese, negat eam pactio-
nem ratam esse, quæ postquam ipse Dictator creatus esset, injussu suo ab

E 3

inferio-

(a) Synt. Hist. p. m. 230. (b) l. 2. c. 18. (c) l. eod. c. 21. (d) l. 5. c. 81.
(e) l. 2. c. 30. (f) l. 6. c. 39. (g) l. 3. c. 26. (h) l. 4. c. 26. & seq. (i) ap.
Liv. l. 3. c. 29. (k) l. 5. c. 49.

inferioris juris magistratu facta esset. Sic etiam Q. Fabius Maximus Consuli, quem cum Equitibus ad se progredientem prospiciebat, obviam Viatorem misit, qui Consuli [tanquam se inferiori] nunciaret, ut sine Licetoribus ad Dictatorem veniret, quod idem Auctor (a) memoriae mandavit.

SECTIO VII. DE OPPOSITIO.

§. I.

Est autem oppositum Dictaturæ I. ejusdem ABDICATIO. Quo tempore fieri eadem fueverit, Antiquitatum Romanarum Auctores indicant. Sc. *exacto sex Mensium spacio*; Tantum namque temporis Lex illa XII. Tabularum (b) constituit, quæ concepta legitur hisce verbis: *Est quando duellum gravius, discordiæque civium crescunt, minus ne amplius, sex menses, nisi Senatus creverit, idem juris, quod duo Consules teneto, isque a vi sinistra dictus Populi Magister esto.* Idem quoque colligi potest ex Manii Valerii sermone ad P. C. de Plebis lascivia comprimenda, habito, ita vero ille apud Dionysium (c) differit: *Ipsa porro Plebs, ne petulanter lasciviat tantam nata potestatem [i. e. uti idem Valerius (d) suadebat, tutandæ Reip. Libertatis, ejusque potentia, atque concordia conservandæ gratiâ ad publica negotia unâ cum Optimatibus evecta,] neve improbissimorum hominum instinctu infestet Optimates, [solet enim in Vulgo Tyrannis subolescere,] cavebit id & licentiam nimiam comprimet vir aliquis prudens, Dictator à vobis Dicitus, qui pro potestate libera vitiosam partem è civitate tollendo, incorruptum servabit reliquum: & correctis moribus ac vite legibus, creatisque Magistratibus qui prudentissimè regant Rempubl. expletis intra semestre Imperii partibus, privatus erit denuò, nihil præter honorem ex ea lucratus.* Et expressè semestrem Dictatoris potestatem, etiam illud apud Dionysium de creando Dictatore Senatus-Consultum statuebat, quod commemoratum vide supra Sect. IV. de forma §. 7. Hinc Fabius P. Suram, hujusque Collegam M. Attilium Coss. ut Exercitum ab se, exacto jam propè semestri imperio acciperent, literis revocasse legitur apud Livium l. 22. c. 31.

§. 2. Observes, id temporis spacium, præscribi iis tantummodò solitum fuisse, quos, notante Jano Gulielmo, (e) rei gerendæ, i. e.

(a) l. 22. c. 11. (b) apud Ciceronem l. 3. de LL. (c) l. 7. c. 52. (d) eod. lib. c. 51. (e) d. l. c. 5.

h. e. belli causa dicere consueverunt. Reliqui enim, ob illas causas, quas supra sec.
V. §§. 7, 9, 10, 11 & 12. enarravimus, secundarias creati, perfuncti, ad quod creaban-
tur, munere, abire iterum Magistratu extemplo solebant. Unde M. Fabius Buteo
Senatus legendo in sex menses creatus, nec probare se, apud Livium (a) ait, Dis
tori, nisi exigenda causa creato, in sex menses datum Imperium. Quanquam
L. Quintius Cincinnatus belli gratia dictus, sexto decimo die, Dictaturam in sex
menses acceptam se abdicasse legatur (b). Modestiae enim causa, ac ea propter eum
omnem dignitatem deposuisse, Godolevæus (c) existimat, ut inanis gloriae studi-
um à bonis viris alienum esse doceret. An dicimus; quò minus gloriam petebat?
[liceat mihi Sallustii Catil. f. p. m. 35. de M. Catone verba huc adplicare!] Sed ma-
gis adsequeretur? juxta illud Diogenis diæterium, qui dum interrogaretur, qua
via quis gloriam consequi posset? gloriam si contempserit, respondit. Adde, quod
intelligatur tempus ultra quod non. Intra verò illud negotio demandato confecto,
Magistratu abire utique poterant. Sic Q. Servilium die octavo, quam creatus erat,
& L. Furium bello, quod in se susceperat, confecto, Dictaturam abiisse Patavinus (d)
scribit. Aliquando tamen etiam re infecta se abdicasse, quod vitio creati essent,
ex eodem perspicuum est. Libro enim 8. c. 15. Religio ille dicit, inde injecta de Dic-
tatore, & quum Augures, vitio creatum videri dixissent, Dictator, Magister &
Equitum se Magistratu abdicarunt. Et l. eod. c. 17. Dictator ab Consulibus ex au-
thoritate Senatus dictus, P. Corn. Ruffinus, M. Equit. M. Antonius. Religio deinde
incessit, vitio eos creatos: Magistratuq; se abdicarunt.

§. 3. Præter morem autem ac de necessitate factum esse scito, quod in libera
 Rep. M. Furium Camillum abdicare se Dictaturam, nisi anno circumacto, passi fue-
 rint. Vid. Livius l. 6. c. 1. Parilem ob rationem prorogatum in annum hoc imperi-
 um L. Papyrio atque Fabio Muximo, Roñus (e) opinatur.

§. 4. Cur Magistratus hic tantillo temporis intervallo circumdatus fuerit,
 hujus rationem insignem satis, solito more Excellentiss. Boeclerus in suo ad C. Ta-
 cit. l. 1. Annal. Commentar. reddit, hanc: ne se regnum id videretur, aut muta-
 tio Status. Longiora enim ac diuturniora imperia, inquit Mecænas apud Dio-
 nem (f) multis Spiritus addunt, & ad res novandas precipites impellunt. Polli-
 cem hisce premere videtur Boxhornius (g), cum ait: Non continuanda sunt digni-
 tates, in quibus plus est Imperii, ne longo abutantur imperio. Et bene Latinorum
 Romanarum rerum Scriptorum Princeps (h) monet: Libertatis magna custodia
 est, si imperia non sint esse diuturna, & temporis imponatur modus, quibus non
 potest juris. Hinc Æmilius Mamercus unius tantum diei Dictator Reip. incommo-
 dum cerneas, Dictaturam spontè deposuit ut re ipsa, inquit, (i) sciatis Quirites,
 quam mihi diuturna non placeant imperia, Dictaturam me abdisco. Notatu di-
 gnum est illud Bartholomæi Caleonis monitum, cujus mentionem facit Marse-
 laer de Leg. l. 2. Dissert. II. Iste, postquam Dux bellicus acerrimus pariter ac fide-
 lissimus Venetiis præfuisset viginti amplius annos, jam senio tentatus, ultimam
 diem obire volebat, nisi saluberrimo monito optimè de Republ. mereretur. Se-
 natum itaque ex quadrante hæredem scripserat, pro quo affectu Clarissimorum ali-

quos
 (a) l. 23. c. 23. (b) l. 3. c. 29. (c) in not. ad h. l. (d) l. 4. c. 47. & l. 7. c. 28.
 (e) l. c. (f) l. 5. Add. Arnold. Clapmar. de Arc. Rerump. l. 3. c. 26. (g) Instit. Polit. l.
 l. c. 8. & innotis ad h. l. (h) Livius l. 4. c. 24. (i) l. eod.

quot Virorum abs Republica ablegati, jam morti proximum adierunt, nunquam non duraturæ gratiæ gloriæque præmium ei apprecaturi. *Et habeo, inquit ille, mnemosynon grandis, quod Senatus consignem, Respublica vestra me Præfectum perpetuum habuit, & habuit fidum utilemque, nunc suadeo, hortorque, ne perpetuus deinceps constituatur Militiæ Præfectus, si Respublicæ perpetuitas speranda, aut stabilisenda vobis est* Hactenus Mariælaer, ubi adjicit: *agnoverunt salubre hoc monitum Veneti, & adhuc hodiè sequuntur.*

§. 5. Advertendum hic probè est, quòd, quoties se abdicare, ac munere absolvi Dictator satagebat, prius Magistrum Equit. suo Magistratu abire necesse fuerit: ne sc. Dictatore desito, Equitum Magister, qui proximum, ceu S. VI, §. 7. audivimus, ab illo gerebat Imperium, in summo solus honore constitutus aliquid moliri posset (a). Mos hic perspicui vel facillimè ex Livio (b) potest, hunc in modum differente: *Postero die exercitum victorem, opulentumque præda triumphans Dictator Romam reduxit; jussitque, Magistro Equitum abdicare, se Magistratu, ipse deinde abdicat die Sexto decimo, reddito in pace imperio, quod in bello trepidisq; rebus acceperat.* Exemplum ritui huic contrarium, idem Autor habet l. 9, c. 26. ubi dicitur: *Abdicat inde se Dictatura [C. Mænius,] & post eum confestim Follius Magisterio Equitum.*

§. 6. Secundò Dictaturæ oppositum quoque est *Ejusdem in Tyrannidem DEGENERATIO.* Ex Historiarum namque monumentis percipimus L. Corn. Syllam seu, ut alii scribunt, Sullam hac dignitate ab usum fuisse maxime, in Tyrannidemque convertisse. Quo de imprimis luculentum illum, quem Dionysius Halicarnassæus l. 5, c. 87. habet, locum allegare heic lubet, *Sed Patrum ætate, elapsis à Dictatura T. L. Lærgii annis circiter quadringentis, odiosa res visa est omnium mortalium judicio, quando L. Cornel. Sulla primus & solus acerbè crudeliterque eam usus est; ut cum primi sentirent Romani, quod superioribus temporibus ignoraverant, Dictaturam esse Tyrannidem. Nam & Senatum ex qualibuscunq; constituit, & Tribunitiam potestatem quam arctissimè contraxit, & urbes desolatæ ut integras, & regna alia sustulit, alia instituit; aliisque multa superbe gessit, de quibus longum esset dicere; Civium quoque præter eos, qui præliis absumpti sunt, deditiorum interfecit non minus quatuor millia, & ex his aliquos tormentis prius excruciatos.* Hinc eum jure meritoque Martialis vocat *Sullam cruentum.* Geminus autem huic fuit Jul. Cæsar. Cum enim ipsi post Hispaniensem triumphum plurimi maximiq; vel [ut Plutarchus (c) loquitur] *immodici à Senatu decreti fuissent honores, inter quos, ut Patriæ Pater, & Sacro-Sanctus, ac Dictator perpetuus esset, & ipse abuti Dictaturâ cœpit, eandemque in Tyrannidem vertere: ceu id Livius (d) observat; & ut reliqua ejus facinora, quæ fuse enarrat Suetonius (e), jam non exequar, abandè tamen, in quantum abusus hac dignitate fuerit, ex hoc cognoscitur, quod exprobrantibus quibusdam, cur Dictaturam non deponeret, quam deposuisset Sylla? Sylla, inquit, nesciebat litteras, ideoque deposuit: quasi dixisset, si scivisset potestate uti, non minus promptum ipsi fuisset, propriam atque perpetuam sibi facere, quam nunc est mihi.* Plutarch. in apophteg. Imò eò arrogantia progressus est, ut non dubitaverit in hæc erumpere verba: *debere homines consideratius jam loqui*

(a) *Alexand. ub. Alexand. l. 4, c. 23.* (b) *l. jam cit.* (c) *T. 2. in Cæsare. c. 84.*
 (d) *Epit. 116.* (e) *in C. Jul. Cæs. cap. 76. & 77.*

loqui secum, ac pro legibus habere, que dicat. Accedit, quod nec Senatui quidem universo [constabat autem mille circiter Senatoribus] ad se venienti assurgeret. Ut usque adeo verum sit de illo, quod circumferri vulgò solet: *Honores mutant mores, sed raro in meliores*. Verum, superbia ante ruinam: Nam *conspiratum est in eum*, ait Suetonius (a), à L. X. amplius, C. Cassio, Marcoq; & Decio Bruto Principibus *conspirationis*, atque *idibus Martii curiam ingressus à Conjuratis tribus & viginti plagis confusus interit*.

§. 7. Tertium adhuc Oppositum Dictaturæ in Historiis occurrit, ejusdem nempe ABROGATIO. Enimverò post Jul. Cæsaris mortem, *Dictaturam que vim jam regie potestatis obsederat*, funditus ex Republica à M. Antonio sublatam esse Cicero (b) testatur, & factum id, refert sapius allegatus Gulielmus, (c) Lege à M. Antonio latâ, [unde Lex Antonia dicitur] se & P. Corn. Dolobella Consule, A. U. C. 710. Erat autem Lex hæc [quam Calvinus in Lexic. jurid. p. m. 995. è P. Manutii lib. 6. A. R. recenset.] talibus verbis concepta: *Ne quis ullam ob causam de Dictatore creando referret, neve Dictaturam oblatam acciperet: qui secus faxit, eum ut necare jus fasq; esset*.

§. 8. Hinc æstimari potest, an Augustus Cæsar [sub cujus imperio natus est Salvator noster JESUS CHRISTUS,] Dictator perpetuus fuerit, quod volunt Florus (d), Eutropius (e) atq; S. Aurel. Victor (f). Expressè contrarium statuit Suetonius (g) de eo sic scribens: *Dictaturam magna vi offerente Populo, genu nixu dejecta ab humeris toga, nudo pectore, deprecatus est*. Quæ verba etiam urget Christoph. Ad. Rupertus in animadvers. ad Enchiridion Pomponii. J. C. de O. J. §. 18. cap. 4. Ego diximi rem hanc posse opinor, vel unica distinctione inter nomen ac vim Dictaturæ. Quemadmodum enim Oliverius Cromvellus re ipsa Rex Britannia, Protectoris licet nomine; Ita Augustus Cæsar, si vim ejus ac potestatem intueamur, reverà Dictator fuit, quamvis nomen deprecaretur.

§. 9. Consideratis itaque hætenus Dictaturæ Romanæ circumstantiis atq; requisitis, talem definitionem subjicere lubet: **DICTATURA ROMANA fuit Magistratus extraordinarius, summus, semestris, à Senatu per Consulem viro Consulari, ad sedandas turbas, commissus.**

§. 10. Hæc tandem Dissertationi unculæ hujus vela complico, inque portum me recipio, DEO DICTATORI SUMMO summas agens gratias, quod bonis, ut ajunt, avibus hætenus navigare nos passus fuerit. FINIS.

COROLLARIA.

Minus rectè M. Fabius, Q. Fabii Max. Pater, jus extremae provocatio-
nis Tullo Hostilio derogat apud Livium l. 8. c. 33.

II. Q. an C. Jul. Cæsar justè interfectus fuerit? N.

III. Jus naturale neque à Deo, neq; ab homine mutationem dispensationemq; admittit.

IV. Utrum conscientia erronea obliget? A.

V. Frustrà sunt evincere volentes: Amicum Amico nil donare posse

F

Historiam

(a) d. l. c. 80. 81, & 82. (b) Phylipp. l. p. m. 371. (c) l. sapius cit. (d) l. 4. c. 129 in fin. (e) l. 1. & l. 4. (f) de Viris illust. p. m. 211. (g) in Oct. Cæs. Augusto, c. 52.

Historiam Sophiæ jungis Themidique verendæ,
LOZBEQVI, & magna sedulitate colis.
Gratulor hunc animum, doctum specimenque laboris.
His jam primitiis, credito messis inest.

Erudito Dn. Respondenti egregios in historiarum
studio profectus gratulatus, scribeb.

JO. ANDREAS BOSIUS.

VIRO

Politissimo,

DN. GEORGIO LOZBEQVIO,

Politicae & Jurium Studioſo

ut indefesso ita felicissimo,

Domino, Fautori, Amico & Auditori

meo mihi

ob pertinax studium, mores innocentes & judicium præstans.

oppidò dilecto,

Cum is

doctam de *Romanorum Dictatura* lucubrationem

in publicum ederet,

S.

TE juvat antiquos, LOZBEQVI, inquirere ritus.
Junge nova antiqvis. Sic mihi clarus eris.

festin. f.

GEORG. GOEZIUS, Moral. P. P.

Die Knospen blühen hir/ di von der Weißheit sprossen/
Das Vaterland erblickt / wi schön die Früchte schossen.
Wol ihm/ geehrter Freund! Er geht di rechte Bahn:
Wer zu dem Wipfel wil/ hebt von der Wurzel an.

Dem Herren Autori bezeugte hirmit sein
moltneinen / diser Disputation

Præses.

Madrigal.

Das Werck erweist den Mann in allen Dingen.
Insonderheit wo Wiz und Sinn regiert
Da bricht es aus;
Es läßt der schuld'ge Ruhm sich nicht bezwingen.

3u

Zu bleiben in Verschwiegenheit
(Wie solches auch in alle Weg gebührt)
Es laßt am Tag bester folge Zeit.
So/ werther Hertzens Freund!
Kan dessen unermüde Müß
Verschwiegen bleiben nicht:
Sie kommt aus Liecht.

Die von der Römer *Dictatur* gelehrte Feilen/
Die lassen dessen Ruhm noch schweigen noch verweilen:
Dieses wenige wolte den Tag vor seiner Abreisß
den 18. Sept. Anno 1669 hinterlassen seinem
unverfälschten Freund/

Leonhardus Kulnich/ Norib. SS. Theol. Cult.

Dictatura fuit Romanis culmen honoris
Summum, quod virtus contulit atq; dedit:
Hanc docto tradis calamo, quo prodis abunde,
Quæ TIBI sint doctes mentis & Ingenii.
Expers nec Tua Virtus erit præstantis honoris,
Quo Te maectabit Patria cum Themide.

Leve hoc monumentum ad aram Amicitia constantis
Per Eximio atq; Politissimo Dno. Autori, poluit

Christophorus Adami, Sempronienfis Hungarus.

Quis *Dictaturæ* supremos nescit honores?
Quos dabat urbs, domiti quæ caput orbis erat.
LOZBEQVI, exhaustos quis nescit, amice, labores?
Post onus hoc veniet meta laboris, honos.

Dn. AUTORI, Amico suo honoratissimo applaudebat
Johannes Melchin, Riga-Livonus.

Mein Freund/ den kein verfälschtes Herz so nennet/
Sein lob zeigt dieser Blätter Schrift/
Die weißes Alterthumb wol kenne/
Und die der Römer hohes Ampt berriffet.
Es wil sein G:ist mit nichten hier belieben/
Ihn wird der Weisheit Flug zum Siernen treiben.
Wol! wol! bey solchem Kunst/ Bemühen
Wird einst verdianter Preis einziehen.

Setzte seinem werth-geschätzten Freund mit
fliegender Feder

Johann Georg Layritz.

F 2

For.

ax 1276

Fortior est virtus natura unita. Monarchas
 Ergo fatalis fors ubicunque dedit.
 Est Leo *Dictator*, quem tota armenta sequuntur;
 Regis ad aspectum contremunt omne pecus.
Quam pandunt Aquilae pennas sua vela, volucrum
 Grex Regem tacita subditus arte colit.
 Sydera sparsa polo tua, Sol, veneratur amice
 Lumina: Tu solus potes esse Tibi.
Perpetuus *Dictator* ades: Pharsalia nulla est,
 Quam timeas, consors desinit esse Carus.
 Sol vigil est Coeli. Romae *Dictator* habenas
 Caesar habet; Caesar nescit habere parem.
 Nescit habere parem; qui solus jura cuiusvis
 Dictat, & hunc orbem solus in orbe regit.
 Hanc *Dictaturam* nobis, Praedocte GEORGI
 LOZBEQVI, monstras, lato & ovante polo.
 Pandite virtutes, jo! Leges pandite Honoris
 Templum: LOZBEQVIUS Caesaris arma colit.
 Ignoras humiles inter reptare myricas,
 LOZBEQVI, rerum mens Tua summa petit.
 Applaudo coeptis, olim Tu Patria *Juris*
Dictator docto pectore fraena reges.


Ita addit Dn. Autori, Conterraneo & Contubernali suo sexcentis
 officiorum titulis suspiciendo applaudebat
 Johannes Georgius Hollius, Phil. SS. Theol. Cultor.

Disseris egregie de *Dictatore Quiritum*,
 LOZBEQVI, cordis portio magna mei!
 Dictitat hinc Magnus *Dictator* Apollo Minerva,
 Conferat ut meritum mox diadema Tibi.

His paucis Amico suo dilecto gratulabatur
 Johannes Vitus Schusler / Cadolzburgo-Francus.

TE juvat historiam sacris junxisse Themidos,
 Causa Tibi praegnans, nam facit illa bonum.
 Te *Dictatorem* doctorum turba creabit,
 Quod *Dictaturam* tam bene charta refert.

Hac in honorem Fautoris ac amici sui suavissimi
 apposita voluit
 Georgius Gentnerus, Syvobaco-Francus.



1017

mit



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

